The University of Chicago
Libraries

Crescat Scientia Vita Excolatur

OTTO HARRASSOWITZ
BUCHHANDLUNG
:LEIPZIG:

# SANCTI AVRELI AVGVSTINI
# TRACTATVS SIVE SERMONES INEDITI

# SANCTI AVRELI AVGVSTINI TRACTATVS SIVE SERMONES INEDITI

EX CODICE GVELFERBYTANO 4096

DETEXIT ADIECTISQVE COMMENTARIIS CRITICIS
PRIMVS EDIDIT
GERMANVS MORIN O.S.B.

ACCEDVNT
SS. OPTATI MILEVITANI
QVODVVLTDEI CARTHAGINIENSIS EPISCOPORVM
ALIORVMQVE EX AVGVSTINI SCHOLA
TRACTATVS NOVEM

MCMXVII
CAMPODVNI ET MONACI EX TYPOGRAPHIA KOESELIANA

By.

BR65
.A9 A59 M8

Imprimatur.

Augustae Vindelicorum, die XIX. Septembris MCMXVII.
Vic. Gen.: M. Niedermair.
Hauser, secret.

744772

GEORGIO

COMITI · DE · HERTLING

MAGNI · AVRELI · AVGVSTINI

SEDVLO · INDAGATORI

INTER · FVRENTIS · ORBIS · INCENDIA

HOC · MONVMENTVM · PACIS · CATHOLICAE

ANIMO · GRATO · VENERABVNDO

DD

# PRAEFATIO

Codex Guelferbytanus 4096, inter Wissemburgenses sine ullo certo auctore adnumeratus, ab O. v. Heinemann in suo Catalogo t. VIII, p. 273, breuiter atque haud ita accurate descriptus est. Nam licet ibi saeculo X adsignetur, peritissimorum tamen uirorum Pauli Lehmann et eheu nuper in bello impie occisi Sigmundi Tafel iudicio potius stare libet, qui librum saeculo IX, et quidem in Germania septentrionali, scriptum mihi confirmarunt. Constat modo 194 foliis pergam. 33×25 cm., at certe initio et fine mutilus: nam ex primo quaternione nonnisi septem folia supersunt, primo folio iam inde a multis saeculis abscisso; ex XXV. uero, qui nunc ultimus, unum folium exstat, cui alterum recentiori aetate aptatum est. Quo factum, ut et consueta „capitula“ et titulus authenticus pessum irent; quorum loco recentiori aetate nescio quis de suo inscripsit: Tractatus vel homiliae diversorum patrum, ab initio et in calce mutilae. Codex ipse, ex quo is noster descriptus est, etiam mancus ac male habitus fuisse uidetur, partim deficientibus foliis, partim inuerso ordine dispositis. Ab archetypo quoque puto repetendum est, quod saepissime litterae u et b uicissim permutantur, quodque non solum in uocibus compositis sed et alias consonantes praeter usum communem adsimilantur: ut puta, quemammodum, at te, as se, ar redimendos nos, descendit an nos; quin et reperitur annus pro agnus, et in uerbo adiuuare littera d ab amanuensi constanter omissa est. Unam manum per totum uolumen, quicquid contra dixerit Heinemann, mihi agnoscere uideor, eamque licet haud elegantissimam, at planam profecto ac lucidam: accessit cura correctoris coaeui, qui recte interpungendis uocibus praecipuam operam dedit; quod uero idem aliique postea in textu nonnulla emendare ausi sunt, id quidem mea sententia parum felici successu. Denique

animaduertas uelim, titulos singulis tractatibus praefigendos ab ipso antigraphario, sed fortasse paullo serius transscriptos, immo nonnumquam praetermissos fuisse membrana pura relicta. Codicem Monachium interueniente deuinctissimo mihi Uniuersitatis bibliothecario Georgio Wolff Guelferbytanae bibliothecae praefectus Gustauus Milchsack mira liberalitate transmisit.

Atqui haec praefari oportuit, ante quam de tractatibus seu homiliis in collectione contentis singillatim dissererem: ubi etiam illud admoneo, numerum contioni unicuique suum a me adpositum esse, ut lectoris commodo consulerem, ceterum ab antiquario sermones alia ratione, id est, per rerum ac sollemnitatum series esse signatos.

* * *

I. fol. 2 se laeta miratur . et de spiritu sancto protulisse gaudet . . . et gloria aeterna . dominus noster Iesus Christus . cuius est honor etc . EXPLICIT TRACTATUS DE NATALE DOMINI . II .

Posterior pars sermonis Appendicis Augustini 121 a medio n. 4; prior autem, ut dixi, cum primo folio iam diu intercidit.

II. fol. 2$^{v}$ INCIPIT TRAC . DE NATL . DOMINI . II Vnigenitus Christus dei filius . uerus sol iustitiae . . . et uirginitas perseuerat . in Christo Iesu domino nostro . EXPLICIT TRAC DE NATALE DOMINI .

Sermo inter genuinos Augustini 191, cum prolixiore exordio ap. Migne notato t. 38, col. 1009, et t. 47, col. 1175 sq.

III. f. 4 INCIP . TRACT . DE NATALE DOMINI . III . Hodie fratres karissimi . caeli desuper rorauerunt . . . redimique non poterat mundus . nisi fuisset Christus occisus . EXPLI . TRACT . DE NATALE DOMINI .

Antiquus quidem sermo, et ut arbitror adhuc ineditus, sed ob tumidiorem dictionem Augustino omnino indignus; quem tamen propter ueteris latinae translationis qui in eo laudantur Bibliorum locos in Appendicem referam.

IV. f. 5$^{v}$ INCIP . TRACT . DE NAT . SANCTI STEPHANI PRIMI MARTYRIS . Dominus et saluator noster Iesus Christus iubet nobis aliquid et promittit aliquid . . . nullo modo inuictus pugnabis . nisi pro tuis inimicis oraueris . EXPLI . TRACT . DE NAT . STEPHA .

Augustini 382, a Maurinis haud immerito inter dubios reiectus. Sane paullo meliori forma hic exhibetur, omissis duodecim initio uersibus, qui ad sequentia minus apte cohaerebant, neque ulla fit mentio euangeliorum a Stephano diacono lectorum, in decursu quoque orationis plurima ab editis discrepant: nihilominus nec sic eum ab Augustino prolatum putauerim, recentiorisque auctoris manum, fortasse Caesarii, admotam fuisse suspicio est.

V. f. 7 INCIPIT . TRACTAT . EIUSDEM . Apostolica lectio . fratres karissimi . nuper auribus uestris insonuit . . . . inmarcescibilem coronam accipere.

Append. August. 114.

VI. f. 8$^{v}$ INCIPIT TRACT . IN NAT . INFANTORUM QUI PRO DOMINO OCCISI SUNT . Aduenit ecce dies qua sacramentum christianae natiuitatis . . . quae magi ex ultimis terris Christo portabant . cui est honor etc. EXPLIC . DE NAT . INFANTUM .

Incerti auctoris, at certe antiqui et Africani sermo hucusque ineditus. Loquitur is urgente persecutione, dum Catholici regiae potestatis uexationibus obnoxii exilia Christi exemplo mutare coguntur, nec tamen, cum angelorum utantur praesidio, apostatarum fratrum ignauia animo franguntur. Ex eo coniectari licet orationem in monasteriali conuentu habitam esse, quod auctor de se et auditoribus profitetur, ‚aurum se non habere, quia mundi bona reliquerunt.' Ceterum Africanis locutionibus sermo pullulat, ex quibus has exempli gratia proferre iuuat: aurarias iudictiones, non cinerescat, inimicalis infestatio, protectionem angelicae paraturae, fidei pretiositas, myrrae supplicamenta, pro summis supplicamentis, potestatum terriculis fatigamur, etc. Necdum ullus Vulgatae uersionis usus, sed multa quae ad Africanas melius existimandas conducant. Huic quoque contioni erit in Appendice locus: quam postea, ut infra dicetur, in antiquissimo cod. Floriacensi, nunc Aurelianensi 154, sancto Optato Mileuitano episcopo, et quidem forsitan iure, adscriptam esse recordatus sum.

VII. f. 12 INCIPIT TRACT . IN DIE EPIFANIORUM . Aperiatur hodie omne os, dilectissimi . . . in aeternum custodiat . per dominum nostrum Iesum Christum .

Append. August. sermo 138.

VIII. f. 13 INCIPIT TRACT . EIUSDEM . Diei huius aduentum si perfecto possimus ore narrare . . . ut sacrum domini corpus attingeret . EXPLICIT .

Simili modo incipit, at prorsus aliter prosequitur decimus sermo inter eos, quos publici iuris fecerunt Caillau et Saint-Yves ‚S. Augustini Operum Supplem.' I, p. 29 sq. (Paris. 1836); uerum neutra forma genuinum Augustinum refert.

IX. f. 13v INCIPIT TRACT . DE IEIUNIO IN PRIMA DOM . QUADRAGESIMA . Adest nobis uenerabile et medicinale quadragesimae tempus . . . qui se in paupere esurire testatur .

Append. August. sermo 144.

X. f. 14v INCIPIT TRACTATUS EIUSDEM . Nonnulli christianorum, fratres, aestimantes se . . . nullis uermium stimulis conpungamur .

Inter sermones s. Maximi Taurinensis ab editore Brunone Bruni decimus septimus connumeratus: Migne 57, 583; ex quo nonnulla Caesarius in suam de Quadragesima, quae hic proxime sequitur, orationem recepit.

XI. f. 16 INCIPIT DE DIE DOM . INITIO QUADRAGESIMAE. Rogo uos et admoneo . fratres karissimi . ut in isto legitimo . . . sub sua protectione perducat . Qui cum patre, etc .

Fetus s. Caesarii Arelatensis episcopi ut uulgatissimus, ita indubitatus; Append. August. 142.

XII. f. 18 INCIPIT TRACT . DE QUADRAGESIMA . Dominus et saluator noster fr . kar . qualiter ad eum . . . pro sua pietate perducere dignetur . Cui est honor, etc .

Append. eiusdem sermo 141, Caesario item iam pridem restitutus.

XIII. f. 19v INCIPIT . TRACT . DE QUADRAGESIMA . Audiuimus fr . kar . scripturam dicentem . locutum esse dominum ad Abraham . . . et sic semper cum domino erimus . Praestante domino , etc .

Inter pseudo-augustinianos sermo 4, reuera Caesarii catechesis biblica incipiente Quadragesima habita.

XIV. f. 21$^{v}$ Credere nos in deum patrem omnipotentem uniuersorum creatorem regem saeculorum . inmortalem et inuisibilem . . . EXPLICIT TRACT . DE SYMBOLO .

Sermo Augustini genuinus 215. Quod autem hic absque titulo et in media periodo n. 2 incipit, archetypone, cui initium defuerit, an antiquarii oscitantiae inputandum, nescio.

XV. f. 23$^{v}$ INCIPIT TRACTATUS DE SYMBOLO . Apostolus dicit erit omnis qui inuocauerit nomen domini saluus erit . Ad istam salutem curritis . . . Symbolum est ergo breuiter conplexa regula fidei... in fide non erret. amen. EXPLI. TRAC. DE SYMBOLO. IIII.

Permagni sane aestimandus iste sermo, ac ueluti ineditus, licet maximam partem cum Augustini sermone 213 conueniat. Nam de hoc et Maurini: ‚In editis tantum, inquiunt, sermonem hunc uidimus, non in manuscriptis'; ac nostra aetate magnus ille christianae antiquitatis inuestigator C. P. Caspari nonnisi unum codicem in quo exstaret inuenit, et hunc chartaceum, nec saeculo XV. antiquiorem, Wratislauiensem regiae bibliothecae I. Q. 344: alterum saeculi item XV. in bibl. regia Monacensi 8826 postea recognouit collega et amicus desideratissimus Odilo Rottmanner: nunc uero ecce tibi testem insperatum totis sex saeculis uetustiorem. Praeterea saepe in dubium uocata erat sermonis auctoritas, quod textus symboli a Romano-Mediolanensi, qualis ab Augustino solet exponi, duplici nomine discreparet: nempe ter in eo legebatur qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, omnino ut in textu recepto, itemque uno saltem loco passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. Atqui in codice Guelferbytano genuina lectio ubique exhibetur: qui natus est de spiritu sancto et uirgine Maria, et sub Pontio Pilato crucifixus et sepultus; ut nullus deinceps remaneat ex hoc capite ambigendi locus. Neque hoc satis: ipsius symboli explanationi in nostro manuscripto conectuntur exordium et clausula, quae, licet in editis haud reperies, omnes tamen numeros in se habent, quibus ea genuina esse agnoscas. Prodeat itaque iam primum in integrum restituta maximi ponderis oratio,

eximiique ingenii uiros, qui eam ab Augustino compositam uindicarunt, minime deceptos fuisse ostendat.

Erit fortasse qui miretur hunc tractatum uelut ‚de symbolo quartum' computari, itemque ‚quintum' qui proxime sequitur, cum nonnisi tres hoc loco exhibeantur: cuius rei causam esse conicio, quod in exemplari tot saltem numero tractatus de symbolo exstiterint, ex quibus tres demum fuerint ab eo qui collectionem adornauit selecti; quod ipsum haud semel infra accidisse reperies.

XVI. f. 28 INCIPIT TRACTATUS DE SYMBOLO . V . Tempus est ut symbolum accipiatis quo continetur . . . et proficiendum est . EXPLICIT etc .

Sermo Augustini 212.

XVII. f. 29$^{V}$ INCIPIT TRACTAT . DE DOM . ORATIO . I . Symbolum reddidistis . quȯ breuiter conprehensa . . . merces erit . amen . EXPLICIT etc .

Eiusdem sermo 58.

XVIII. f. 33$^{V}$ INCIPIT TRACTATUS DE DOMINICA (sic) . II . Dominicum semen per manus linguae nostrae in uestris cordibus . . . et trades symbolum . Amen . EXPLI , TRAC . DE DOM . ORAT . II .

Sermo ineditus quidem et iis, qui de ‚traditione' dominicae orationis liturgica documenta quaerunt, non neglegendus: quem tamen in Appendicem libelli huius reiciendum censui, quippe cuius et remissior dictio et loci ex sacra scriptura adducti alium omnino atque Augustinum clamitent auctorem.

XIX. f. 35$^{V}$ INCIPIT TRACTATUS DE DOM . ORAT . III . Videmus dilectissimi uestram sanctam deuotionem expectantium dominicam percipere orationem . . . facientes uoluntatem eius . amen . EXPLICIT etc .

Neque magis Hipponensis uenam prae se fert contio haec, in qua et ipse dominicae orationis tenor f i a t u o l u n t a s t u a i n c a e l o e t i n t e r r a . . . e t n e n o s p a s s u s f u e r i s i n d u c i i n t e m t a t i o n e m ab Augustini consuetudine alienus est, codici uero Colbertino (c) consonat. Ceterum cum nec indigna sit quae legatur, nec hucusque quod sciam edita

fuerit, eam in Appendice post praecedentem conlocaui, Quodtuultdeo Carthaginiensi episcopo aliquando fortasse uindicandam.

XX. f. 37 INCIPIT TRAC . DE DOM . ORATI . IIII . Reddidistis quod credatis . audistis quid oretis . . . sed etiam discatis quid desiderare debeatis . amen . EXPLICIT etc .

Sermo Augustini 59 aliunde emendicatis mercibus passim auctus. Verbi gratia, n. 7 Maurinae editionis haec interpolata sunt, quae in sermone quoque De effetatione Homiliarii wisigothici Silensis (Cod. Brit. Addit. 30853, fol. 55$^{v}$; cf. Anecdota Maredsolana I, 411) partim leguntur: „Numquid „dignatur aliquem uestrum affiliare comes uester?... Non „enim orabitis hanc orationem nisi post baptismum. Ad octo „enim dies reddituri illam estis, non oraturi: post baptismum „illam orabitis. Quomodo enim dicit Pater noster, qui „nondum est natus? Quia ergo hanc orationem cottidie „dicturi estis, moneo uos in dei gratia filios meos" etc.

XXI. f. 39 INCIPIT TRAC . DE PASSIONE DOMINI | 39$^{V}$ | Magnum et ineffabile sacramentum dominicae passionis sollemniter hodie celebramus . . . non semel in anno . sed continua sanctitate . amen . EXPLI . etc .

Breuis atque ineditus sermo in Parasceue, cuius siue sobriam eloquentiam locosque biblicos adtendas, siue sententias cum epistula Augustini 140 eiusdemque in Ps. 21 Enarratione secunda conferas, neminem praeter ipsum auctorem ultro agnosces. Nimirum Psalmus ille in sacro diei conuentu lectus fuerat, iuxta usum quem tota Africa receptum Tractatus 13 in Iohannem n. 4 testatur; de quo et s. Doctor potissimum contra Donatistas disputat, regnum Christi nullo terrarum limite concludi, eiusque tunicam diuidi non oportere contestans.

XXII. f. 40 INCIPIT TRAC . DE PASSIONE DOMINI . Passio domini et saluatoris nostri Iesu Christi fiducia gloriae est . . . si patienter pertulit deus . quod uoluit inimicus iniustus . amen . EXPLI . etc .

Sermonem hunc aeque ineditum iam s. Augustino adscribendum apud me decreueram, cum demum comperi ex

quinque fragmentis ‚de passione domini', quae Beda et Florus collectaneis suis inseruere (Migne 39, 1723 sq.), secundum quartumque ex hoc ipso sermone excerpta esse: itaque accedit iudicio meo utriusque uiri doctissimi auctoritas. Simulque considera, a Possidio ‚De passione domini tractatus duos' haud secus atque in nostro codice notari.

XXIII. f. 41$^{v}$ INCIPIT TRACTAT . DE NOCTE SANCTA . Dominus noster Iesus Christus in plenitudine temporis pro aeterna nostra salute passurus . . . ne intremus in temptationem . amen . EXPLI . TRACTAT . DE NOCTE SANCTA . I .

Breuis quidem et simplex eaque inedita allocutio cum reliquis sermonibus ab Augustino ‚in uigiliis Paschae' habitis, in primis 219 conferenda; qua ex conparatione necnon ex locis sacrae scripturae adlatis eam quoque ex beatissimo uiro profectam esse nihil dubito.

XXIV. f. 42 INCIPIT TRAC . DE NOCTE SANCTA . II . | 42$^{v}$ | Quoniam dominus noster Iesus Christus diem quem fecerat moriendo luctuosum . . . qui mortuus est ut uiueremus . amen . EXPLI . TRAC . DE NOCTE SANCTA . II .

Propositi sui esse indicat orator, ut ‚prius de generali uigilia, postea de speciali hodierna, quae dominus dederit, pauca dicat'. Atqui prolixum fragmentum de speciali ratione paschalis uigiliae Eugippius ‚Excerptis' suis c. CXX (al. 135) inseruit, quod et Maurini uti sermonem Augustini 221 protulerunt. Quod quidem fragmentum ipsa est orationis nostrae huius altera pars, pars uero prior nondum in lucem edita est: ut neque hic desit, qui sponsor iam inde antiquitus appelletur, cum ipse se sermo ui propria Hipponensis fetum indubitatum prodat.

XXV. f. 44 INCIPIT TRACTATUS DE NOCTE SANCTA . III . Dominus noster Iesus Christus passioni proximus . ubi pro debitis nostris . . . sed quia uicit leo . ueniet iudicare uiuos et mortuos . amen . EXPLI . TRACTAT . DE NOCTE SANCTA . III .

Haec quoque tertia de uigiliis paschae oratiuncula et grata nouitate et Augustinianae eloquentiae sapore insignis, nec quidquam ab huius usu ac consuetudine dissident quae ex utroque testamento laudantur testimonia.

XXVI. f. 44$^{v}$ INCIPIT TRACTATUS DE DOMINICA SANCTI PASCHE. Hic est dies quem fecit dominus . exultemus et iocundemur in eo . Sicut modo domino deo nostro cantauimus . ita illo adiuuante . . . senescere licet . mori non licet . amen . EXPLI . TRAC . DE DOM . SANCTI PASCE .

Habetur hic, ni fallor, quasi musiuum opus ex sermone Augustini 230 itemque ex serm. 225 n. 4 inde a uerbis ,Ecce multitudo ista' congestum. Et quidem uidere mihi uideor, quae mens fuerit sarcitoris. Sane sermo 230 breuissimus: quae autem in 225 de primis quarti euangelii uersibus disseruntur superuacanea et ad popularem intellegentiam minus accommodata nescio quis actuosus homo secum reputans satius existimauerit quae hinc et inde de uersu Psalmi 117 dicuntur inter se contexere. Non potuit tamen quin sese infra rem ostenderet, dum et humiliora uocabula Augustinianae orationi immiscuit, et s. scripturae locos suo arbitratu saepius adcommodauit.

XXVII. f. 45$^{v}$ INCIPIT TRACTAT . DE DOMINI . SANCTE PASCE. Post laborem noctis praeteritae . quoniam et si spiritus . . . propter aedificationem illorum . amen . EXPLICIT etc .

Sermo Augustini inter genuinos 228: quem, cum ab Hieronymo Vignier male fido homine primum editus sit, textumque passim deprauatum exhibeat, cum hoc uetusto exemplari conferre proderit.

XXVIII. f. 46$^{v}$ INCIPIT TRAC . DE DOM . SANCTI PASCE . Dominum nostrum Iesum Christum factum esse hominem . . . ut cum uideritis non erubescatis . sed potius exultetis . amen . EXPLICIT etc .

Sermo item genuinus 119, quibusdam in locis leuiter inmutatus; quem etsi Maurini inter sermones de Scriptura conlocarint, in suis tamen codicibus haud secus ac in nostro ,In die Paschae' inscribi fatentur.

XXIX. f. 48$^{v}$ INCIPIT TRACTATUS DE DOMINICO SANCTE PACHE . Siquidem ipse habet clauem Dauid . . . adoptati sumus . cui est gloria , etc .

Est s. Hieronymi de Ps. XLII ad neophytos tractatus (cf. ,Anecd. Maredsol.' III$^{2}$, 416), sed hic initio casune an ex industria mutilus: Augustini certe nomini inde a remota

aetate falso addictus, uti ex codice Vaticano 5758, olim Bobiensi apparet, ex quo eum Angelus Mai in ,Noua Patrum Bibliotheca' I, 20 sq. expressit.

XXX. f. 49$^{v}$ INCIPIT TRAC . DE DOM . SANCTI PASCAE . Vos in nouam uitam regenerati . propter quod infantes uocamini . . . ut ad promissa dei peruenire possitis . amen . EXPLICIT etc .

Pulcherrima eaque inedita oratio de arcanis ritibus, qui initiandis olim Christianis in usu erant, et de dialogo eucharisticae praefationi praemisso, ut in sermonibus 227. 229. et 272; quam et ipsam a nemine si non ab Augustino profectam esse censeo.

XXXI. f. 51 INCIPIT TRACTATUS DE DOM . SANCTE PASCHE . Hoc quod uidetis . karissimi . in mensa domini panis est et uinum . . . ut ea quae dicta sunt teneatis . amen . EXPLICIT etc .

Ut de reliquis taceam, iste argumenti loco sermo sit, quam rara inuentu quamque pretiosa ei, qui hanc collectionem adornauit, monumenta patuerint: iste, inquam, de sacramentis sermo, cuius nonnisi breue fragmentum ex Beda et Floro Maurinis innotuerat (serm. 229), quique postea a Michaele Denis ex uno codice Neapolitano in Bibliothecam Palatinam Vindobonensem inlato integer demum editus est, is in nostro etiam Guelferbytano omnibus suis partibus constat, cum textu dionysiano haud absque utilitate conferendus.

XXXII. f. 52 INCIPIT TRAC . DE DOM . SANCTE PASCE . Sicut audistis praedicari dominum Christum . quia in principio . . . et de sacramentis altaris hodie infantibus disputandum est . amen . EXPLICIT . etc .

Sermo Augustini 226. Ubi uero in fine legitur, ,quoniam et post laboraturi sumus', in codice nostro habetur ,post laborem sumus'; porro ita concinnius, uti uel ex sermonis 228 exordio apparet: ,Post laborem noctis praeteritae.'

XXXIII. f. 52$^{v}$ INCIPIT TRACTATUS DE DOM . SANCTE PASCE . Beati apostoli cum mirabilia facerent . et sanitates in nomine Christi . . . Sufficiant caritati uestrae . quia multa agenda sunt . EXPLI . TRAC . DE DOM . SANCTI PASCE .

Pauca quidem uerba, sed ea inedita, et quae Augustinum omnino referant, de merito fidei in Christum a mortuis resurgentem, deque eodem Christo ubicumque potuerimus praedicando. Quod sane mireris, recurrit infra eadem allocutio post tractatum LII ex alio exemplari, ut uidetur, excripta, ibique dominico octauarum Paschae adsignatur.

XXXIV. f. 53 INCIPIT TRACTATUS DE DOM . SANCTI PASCE . Omnem quidem diem dominus fecit . non solum autem fecit . sed etiam facit . . . caritatis . inmortalitatis . aeternitatis . amen . EXPLICIT TRAC . DE DOM . SANCTE PASCE .

Perbreuis quoque sermo iste, at pariter ineditus et oratoriis Augustini uirtutibus plane dignus. Agit s. episcopus de uersu psalmi Hic est dies quem fecit dominus, et de laetandi modo Christianorum, ostenditque Alleluia licet hic semper absque satietate dici non possit, in futura tamen uita ita esse decantandum, ut perpetuo iocunditatem, numquam afferat fastidium.

XXXV. f. 54 INCIPIT TRAC . DE SECUNDA FER . PASCA . Passio domini et resurrectio duas ostendit nobis uitas . unam quam toleramus . alteram quam desideramus . . . dominus erit merces tua. amen . EXPLI . TRAC . DE SECUNDA FER . PASCE .

Eodem fere modo incipit et explicit sermo inter Maianos 83 (Noua PP. Biblioth. I, 162 ex cod. Vaticano 4951, saec. XII); quem cum ego ante annos amplius uiginti cum ceteris minutiori cura apud me recenserem, chartulis meis aperte consignaui, ipsum quidem genuinum, at certo parte sui truncatum esse, et aliqua n. 2 post uerba ‚sed membra sua in terra cognoscebat' desiderari. Cui nunc iudicio fidem facit codex Guelferbytanus, quando quidem is loco a me designato paginas integras tres exhibeat, quae in ms. Vaticano desunt, quaeque ad uitam ‚alteram quam desideramus' pertinent. Iam igitur sermo totus enotescit, totus, inquam, et pulcherrimus; nam ex ea parte, quae hic primum editur, ita auditores commotos fuisse apparet, ut contionatori assensum clara uoce adclamarent. Quibus ille: ‚Quid est, inquit, quod clamatis, si ad mentes uestras nulla esca peruenit? Sed nos quid sumus?' etc.

XXXVI. f. 56[v] INCIPIT TRACTAT . DE SECUNDA FER . PASCE . Resurrectionem domini alii uiderunt . alii nuntiatam non crediderunt... corrigant claudicationem . ueniant ad benedictionem . amen . EXPLI . TRAC . DE SECUNDA FER . PASCE . II .

Et sententiarum pondere et elocutionis arte Augustini esse se prodit sermo iste hactenus ineditus. In quo de fide resurrectionis disputatur, et cur certus hominum numerus eam sortiatur, ceteri autem occulto dei iudicio minime adtingant, quemadmodum in populo Iudaico et in Iacob patriarcha cum angelo luctante olim praefiguratum est: quibus similia alibi reperies, ut puta serm. 6, n. 6 sqq.; 122, n. 3; 204, n. 3 etc. In margine porro alius manu fere coaeua descriptus est Tractatus s. Aug. de XL, idem qui in Augustini Appendice 144[us] est; cui etiam nonnulla ex serm. 26 Maximi Taurinensis (Migne 57, 584 B. C) inepte adsuta sunt.

XXXVII. f. 58 Audistis quid dominus discipulis suis post resurrectionem dixerit . . . Unde ergo mortuus ? Verbum caro factum est . et habitauit in nobis . amen . EXPLI . TRAC . | f. 60 |

Nullus, ut uides, sermoni titulus praescribitur, quod et saepius infra accidit membrana pura relicta. Verum hic aliquid omnino deterius euenit, ut ordine forsitan inuersis seu etiam deficientibus archetypi foliis orationis nonnisi disiecta membra remanserint, quae etiam qualiter coadunari queant haud ita facile perspicias. Licet enim prima specie nihil huiuscemodi suspiceris, septem saltem in ea fragmenta distinguenda sunt: quorum primum duobus primis uersibus constat Audistis quid dominus — morituris, secundum uero disperiit, tertium Quod enim deus sit Christus — et non cognouistis me? immediate primo coniungitur, quartum Philippe qui me uidit — pater et filius duo et quintum Quicquid iterum dicis — Ego et pater audiat quinto et quarto loco commutato ordine exhibentur, sextum et Arrianus unum — Et si non estis idonei cogi in priorem partem sermonis proxime sequentis intrusum est, septimum tandem dare tamen fidem tenete — habitauit in nobis quarto membro in codice subicitur, eoque

demum totus sermo absoluitur; textus quoque ipse, quod haud aegre intellegas, tot inter rimas hiatusque sententiarum identidem male habitus est. Quod maxime dolendum est, cum et sermo ineditus sit, et singulae eius particulae Augustini prodant ingenium.

XXXVIII. f. 60 Domini passio discipulorum defectio . sed domini resurrectio discipulorum refectio . . . Nolite esse latrones . sed imitamini fidem latronis . Amen . EXPLI . TRAC . DE TER . FER . PASCE . II .

De duobus discipulis in Emaus cum Christo conuersantibus sermo nondum, quod sciam, uulgatus: in quo licet multa occurant ex his quae de eodem argumento edisserenti Augustino sollennia sunt, uerbi gratia de fide latronis et discipulorum incredulitate instituta conparatio (cf. serm. 232, n. 6; 234, n. 2), stilus tamen et in exemplis biblicis uersionis latinae discrepantia imitatorem magis quam ipsum s. episcopum demonstrant; ideoque et huic erit in Appendice locus. Superioris orationis fragmentum fortuito in eo intermixtum iam praemonui.

XXXIX. f. 62 Hodie tertius dies agitur . ex quo gloriosa solemnitas caelebratur . . . ut non glorietur inuidus Iudaeus . sed semper gaudeat Christianus . EXPLI . TRAC . DE TER . FER . PASCE .

De eadem euangelica lectione sermo pariter ineditus, sed breuior, et ipse iisdem de causis post praecedentem in Appendicem reiectus.

XL. f. 62$^{v}$ Resurrectio domini Iesu Christi . forma est christianae fidei. Quod enim natus est . . . quomodo audebis dicere . Redde quod promisisti? amen . EXPLI . TRAC . DE TERTIA FER . PASCE . II .

Uti tractatus XXXV, ita et huiusce pars prior unum ex Maianis sermonibus, eum uidelicet qui 34$^{us}$ ordine est (Noua PP. Biblioth. I, 73) efformauit: quem licet iam pridem genuinum esse agnouissem, exclusa inferioris sane aetatis clausula I d e o q u e, f r a t r e s, d e u o t e, etc., mecum tamen reputans bonam ex eo partem deesse praesenseram. Et recte quidem, ut ex codice nunc Guelferbytano adprobatur: cuius ope tribus ferme paginis inter n. 2 et 3 Maiano textu redintegrato praedictum recentius additamentum tuto reicitur,

reliquae uero orationi, quam ex propiorum temporum exemplo eruditus Cardinalis edidit, testis longe antiquioris accedit auctoritas. Quod autem notatu dignum, etiam in recentissimo codice haud secus atque in nostro inscribitur sermo ‚In feria tertia Paschae'.

XLI. f. 65 Hodierna lectio commendat nobis uerum Christum . et ueram ecclesiam . uerum sponsum . et ueram sponsam . ne in aliquo erremus . et aut sancto sponso . . . ne in tam sanctis nuptiis litigemus . amen . EXPLI . TRAC . DE QUARTA FER . PASCE .

Sermo Augustini 238, ex uno Vindocinensi codice primum a Maurinis editus, quem idcirco cum nostro conferre operae pretium fuerit: uerbi gratia initio uerba aliquot erasa esse praemonent editores, quae in hoc integra seruata sunt. Quod porro locus euangelii Luc. 24, 36 sqq., qui in hac homilia exponitur, feria quarta Paschae in Hipponensi ecclesia recitari consueuerit, id etiam testatur uenerandae antiquitatis liber Floriacensis, de quo uidesis notam ap. Migne 38, 1122.

XLII. f. 66 INCIPIT TRAC . DE . III . (sic) FER . PASCE . Diebus his sanctis resurrectioni domini dedicatis . . . credamus de capite . amen . EXPL . TRAC . DE QUARTA (sic) FERIA PASCHE . II .

Sermo eiusdem 242.

XLIII. f. 68 Resurrectionem suam dominus Christus certam et ueram . multis et uariis documentis . . . Nos uidemus corpus . de capite credamus . Amen . EXPL . TRACTATUS DE QUARTA FERIA PASCE . III .

Eadem euangelica lectio contra Manichaeos et Donatistas explicatur, quae et in duobus superioribus tractatibus: sed hic quidem ineditus, qui etsi mea sententia non ex toto Augustini, haud inperiti tamen imitatoris, fortasse Quoduultdei, ingenium refert, ac inter eos, quos in Appendicem reieci, forma facile excellit. Quem licet si quis genuinis adnumerare uelit, nequaquam pertinaciter repugnem, interim uero, ut Michaelis Denis uerbis utar, s. Doctori subtrahere malui, quam supponere.

XLIV. f. 70$^{v}$ Bonum est ut commemoremini quod omni anno soletis audire . Sicut enim quod scriptum est . . . usque ad consummationem saeculi . amen . EXPL . TRACTATUS DE QUINTA FERIA PASCE . I .

Hic quoque sermo hactenus incognitus, at prorsus Augustinianis accensendus, in quo de uerbis euangelii Iohannei 20, 17 Noli me tangere disputatur, ut in editis 243—246: quam pericopen s. episcopus ‚omni anno', ut ipse testis est, (serm. 246, n. 3) exponere solebat.

XLV. f. 71$^{v}$ Narratio resurrectionis domini nostri Iesu Christi secundum euangelistam Iohannem . . . laudabunt te . EXPL . TRACTATUS DE QUINTA FERIA PASCE . IIII . (sic)

Augustini sermo 243.

XLVI. f. 73 De lectione euangelii . hodie secundum Iohannem resurrectio domini recitata est . . . qui pro nobis mortuus est in infirmitate . amen . EXPL . TRACTATUS DE QUINTA FERIA SANCTE PASCE . IIII .

In Ioh. 20, 1—18 pro feria quinta Paschae sermo alter ineditus, idemque Augustino indubitanter adscribendus, qui lectionem euangelii secundum Lucam 24, 36 sqq. pridie lectam fuisse commemorat: ut ex his de paschali hebdomada tractatibus pericoparum ordo facile restitui possit, qui Hippone Regio saeculo quinto ineunte receptus erat.

XLVII. f. 74 Nouit caritas uestra lectiones istas sancti euangelii . . . Ibi ergo erunt omnes qui currunt ad decem et septem . qui faciunt legem dei . adiuuante spiritu dei . amen . EXPL . TRACTATUS DE SEXTA FERIA PASCE . I .

Et iste in eorum numero est, qui hic primum Augustini nomine inscripti in lucem eduntur: tractat de mirabili piscatione ad mare Tiberiadis, Ioh. 21, 1 sqq., et de mystica numeri piscium significatione, in qua tantum uirum plus aequo se oblectasse, cum aliunde, tum praecique ex sermonibus 242—252 notum est.

XLVIII. f. 76 Liberatoris nostri predicatio (sic) nostra est liberatio . . . et eritis non ad sinistram damnandi . sed ad dexteram coronandi . amen . EXPL . TRACTATUS DE SEXTA FERIA PASCA . II .

Sermo Augustini genuinus 251.

XLIX. f. 79 Apostolum Petrum primum omnium apostolorum meministis in domini passione fuisse turbatum . . . testimonium dilectionis . amen . EXPL . TRACTATUS DIE SABBATU OCTABARUM SANCTE PASCE . I .

Augustini sermo 147, quem Maurini quidem haud secus ac 28$^{um}$ supra in serie contionum de Scriptura includi maluerunt, fatentur autem in suis mss. inscriptum habitus sabbato paschae, seu sabbato post pascha. Agit nempe de loco euangelii Ioh. 21, 15 sqq., quemadmodum sermo 253, qui et ipse in uetere Floriacensi libro praenotatur habitus die sabbato: quibus titulis nescio quid amplius sapit uenerandae antiquitatis quae in nostro codice legitur inscriptio.

L. f. 80 Ecce dominus iterum post resurrectionem apparens discipulis interrogat apostolum Petrum . . . nemo timet iram potentis . haerendo uultui omnipotentis . amen . EXPL . TRACTATUS DE SABBATU OCTABARUM SANCTE PASCE . II .

De eadem euangelica lectione uerum is ineditus sermo, prorsusque nullius, quantum ego opinione auguror, nisi Augustini. Iuxta quem Dominus, quando Petrum interrogabat Amas me? nos interrogabat, ecclesiam interrogabat; simili modo nec Petrus unus claues accepit: ligant, soluunt et episcopi, immo aliquatenus singuli Christiani, ex quibus constat ecclesiae consortium.

LI. f. 81$^{V}$ Audistis apostoli Petri domino interrogante confessionem . . . commendo etiam ut pro ceteris oretis . EXPLICIT TRACTATUS DE SABB . OCTABARUM SANCTE PASCE . III .

De eodem sabbato eodemque euangelii loco altera Augustini inedita oratio. Cuius potissimum conclusio notanda est, in qua s. episcopus unum ex quattuor haereticis, quibuscum die praecedenti ‚acrimonia disciplinae' egerat, abiuratis iam Arrii et Eunomii erroribus catholicum factum fidelibus commendat, atque hos ut pro ceteris orent hortatur. Qua de re occurrit mihi Augustini epistula 170 eius et Alypii nomine ad Maximum medicum Thenitanum anno forte 415 scripta. Is ex Eunomianista fidei catholicae ipsis praesentibus ‚cum magna exultatione populi Dei' recens

consociatus erat; alii autem nonnulli, quos in errorem induxerat auctoritate sua, nondum ,ecclesiae catholicae salubri correctione' fuerant restituti: quapropter ut eos docere non differat, atque ad domum Dei reducat admonent. Porro cum perpaucos eo tempore Arrianos in Africa remansisse constet, ipseque Augustinus testetur serm. 46, n. 18 ,Eunomianos non esse in Africa', non possum quin ducar ad suspicandum, inediti sermonis huius clausulam ad conuersionem praedicti Maximi referri: praesertim cum utrobique et de uno conuerso ceteris in pertinacia manentibus, et de coercitione ab iis qui praesunt ecclesiae adhibita, ac demum de pluribus episcopis adstantibus uniuersa quae dicuntur mire inter se consentiant.

LII. f. 83 Primo die dominico agnoscit caritas uestra . hoc est ante istos octo dies . . . et peritis . et perditis . amen . EXPL' . TRAC . DE DOMINICO DIE OCTABARUM SANCTE PASCE .

Sermo item nondum quod sciam in lucem editus, pariterque Augustino omni exclusa dubitatione uindicandus. In eodem uersatur argumento, quo et sermones 224. 258. 260; quod uero ,in dominico die octauarum sanctae Paschae' inscriptus est, ita fere in antiquioribus codicibus sermones 148 et 259 praenotantur, qui eadem die habiti sunt. Animaduertit contionator, ante octo dies hoc cantatum esse a fidelibus, quod hodie: Hic est dies quem fecit dominus, a se porro ex Geneseos exordio uerbisque Pauli ad Ephes. 5, 8 explanatum fuisse; idem nunc de occulta inter homines diuisione lucis ac tenebrarum interpretatur, infantesque in Christo renatos adiurat, ut ,miscendi hodie numero populorum' quos imitentur eligant, ac fideliter uiuant, qui fideles uocantur.

XXXIII bis. f. 84$^{v}$ Beati apostoli cum mirabilia facerent . . . quia multa agenda sunt . EXPL' . TRAC . DE DOMINICO OCTABARUM SANCTE PASCE . II .

Quod nusquam alias in hac collectione contigit, secundo interponitur oratio supra n. XXXIII ipsi Paschae dominico adsignata: cuius locum proprium hunc potius esse crediderim, cum ad Psalmum 115 Credidi ea referatur, quem

ex sermone 257 dominica post Pascha cantari solitum fuisse apparet. Quod autem ultimo dicitur ,quia multa agenda sunt', idem initio statim sermonis 260, qui eodem die habitus est, exprimitur: ,Ne moras faciamus acturi multa'.

LIII. f. 85 Hodierno die baptizati in Christo et regenerati uniuerso populo dei celebrata sacramentorum sollemnitate miscendi sunt . . . quos fideles tales esse cognoueritis . Amen .

Sermo Augustini 224 in uerbis et sententiis haud parum inmutatus, uti iam inde a principio dinoscitur: quem licet Benedictini editores ,in die Paschae' praenotarint, in capite tamen sermonis 260 admonent, diei dominico octauarum Paschae multis in libris adsignari.

LIV. f. 86v Ne moras faciamus acturi multa . . . ne uos oneremus . breuiter omnibus uobis dico . haec agite quae audistis . et deus pacis erit uobiscum . amen . EXPL' . TRAC . DE DOMINICO OCTABARUM SANCTE PASCHE QUANDO INFANTES MISCENDI SUNT POPULO DEI .

Augustini sermo 260 a textu uulgato item passim discrepans: ubi multa ista, quae agenda erant, ad ritum, quo neophytis hac die uestes albae deponendae erant, fortasse referuntur. Hucusque series tractatuum ad singulos paschalis sollemnitatis dies pertinentium, quae sane contionum et numero et oeconomia prae ceteris huius collectionis partibus insignis est.

LV. f. 87 Ascensionem domini in caelum cum carne in qua resurrexit dominus hodie celebramus . . . et ut credas quia uiues de me . prius morior pro te . amen . EXPL' . TRACT . DE QUADRAGESIMA ASCENSIONIS DOMINI .

Sermonum ,de quadragesima Ascensionis domini' Possidius quoque ipsissimis uerbis meminit in Catalogo c. 8 et 9. Ex tribus porro, qui in codice habentur, hic primus et ineditus est, et mea quidem sententia certo Augustinianis adnumerandus; cuius splendore adeo accensi sunt auditores, ut prae admiratione exclamauerint, quod iis uerbis sanctus episcopus testatur: „Acclamatis, elegistis... Quid ostendi, „ut clamaretis? Aliquos pulchros colores, aliquas uenustis„simas formas, aurum, argentum ostendi? Gemmas uobis

„inspiciendas aliquas protuli? Nihil horum: tamen adcla-
„mastis, et acclamando uos elegisse significastis.'

LVI. f. 88$^{V}$ Sollemnitatem diei huius ammonemus scientes . . . usque ad occasum laudate nomen domini . amen . EXPL' . TRAC . DE QUADRAGESIMA ASCENSIONIS DOMINI . II .

Sermo Augustini genuinus 265.

LVII. f. 92$^{V}$ INCIPIT TRAC . DE QUADRAGESIMA ASCENSIONIS DOMINI . II . (sic) Ascensionem domini hodie celebramus . . . mendacium esset . Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem saeculi . amen . EXPL' . TRAC . DE QUADRAGESIMA ASCENSIONIS DOMINI .

Tres hac in oratione partes discernendae sunt: 1° exordium aduenticium decem fere uersibus constans, quod ipsum sermoni De ascensione domini ex cod. Silensi a me dudum edito, Revue Bénéd. XXIX (1912), p. 253 sqq., pariter praemissum est; 2° pars prior sermonis Augustini 263 ab his uerbis n. 1 „Festus enim nobis, carissimi, hodiernus est „domini ascensionis dies. Resurrectionem ipsius domini „Pascha celebrauimus, ascensionem hodie celebramus" et reliqua usque n. 2, uers. 5 „Totum hoc fide tenemus, oculis cordis intuemur." Abhinc uero alio prorsus modo oratio concludit Laudati sumus, quia non uidimus... usque ad consummationem saeculi; quae clausula profecto Augustinum sapit, eademque sermonis est inter Maianos 44, qui rursus ut sermo apud Maurinos 263 incipit. Vides igitur tres omnino editiones inter se partim conuenire, partim plus minus discrepare: ex quibus cuinam fides potissimum habenda sit si quaeras, aperte respondeo, nulli. Nam, quod ad nostram Guelferbytanam adtinet, exordium, ut dixi, aliunde ascitum ideoque resecandum est: cui adaptando nonnulla ex sermonis 263 exordio uerba pessum data sunt. Iterum quem ex duobus codicibus sermonem A. Mai euulgauit, is quoque, licet initio cum sermone Maurin. 263, conclusione cum nostro conueniat, numero tamen toto 1. a uerbis Christi enim resurrectio ex Maximi Taurinensis homiliis 60. et 57. emanauit, ut praetermittam textum mire

ubique deprauatum, ac fere nullam auctoritatem habere. De ipso demum, qui inter genuinos 263$^{us}$ hactenus habitus est, quid dicam, qui duplici saltim loco centonem se esse ostendit? Nam n. 2 initio, a uerbis Hodie enim, sicut auditis, fratres, dominus noster Iesus Christus ascendit in caelum, quibus a Maiano nostroque discedit, quasi nouus manifeste sermo exorditur, qui et apud ueteres editores et in ipsis Maurinorum manuscriptis cum eodem n. 2 in haec uerba desinit: si non premat spiritum sarcina peccatorum; quae autem n. 3 et 4 leguntur, licet plane Augustiniana sint, cum superioribus non cohaerent. Hoc itaque uisum est, ut uel breuem allocutionem primum ab integro restituerem, qualis ex triplici fonte resectis interpolamentis emergit; quam ea de causa hisce ineditis sermonibus adiungendam duxi, quod praecipue Guelferbytani codicis ope quasi e tenebris in lucem ea quoque uocata sit. Qua in re exemplum Maurinorum sequor, qui sermoni 380 ‚in omnibus libris, etiam manuscriptis' interpolato ac uitiato absque manuscriptorum auctoritate praeter morem suum quin medicam manum admouerent minime cunctati sunt.

LVIII. LIX. f. 93$^{V}$ INCIPIT TRAC . DE QUINQUAGESIMA POST PASCA . Grata est deo sollemnitas . . . . liberauit ipse saluator amen . EXPLI . TRACTATUS DE NATALE SANCTE (sic) IOHANNES BAPTYSTA . I .

Animaduertis finem ad principium non quadrare; re enim uera duo hic sermones, immo semisermones habentur, quorum prior de Pentecoste ex iis, quos Hieronymus Vignier edidit, apud Maurinos 378, post haec uerba deficit: et siti in hac peregrinatione deficiamus (Migne 39, 1674, l. 4); alter de sancto Iohanne Baptista inter Augustini genuinos 293$^{us}$ in § 4, l. 5 incipit ab his: Iohanne Baptista. Si hoc homine nullus erat maior homo, etc. Ex quo coniectare licet, aliquot archetypi folia aut defuisse, aut certe ab antiquario praetermissa esse.

LX. f. 98 INCIPIT TRAC . DE NATALE SANCTE IOHANNES BAPTYSTA . Cuius hodie celebramus natalis diem praecursor est domini .

sanctus Iohannes non euangelista sed baptista . . . gratias domino agere didicisti . amen . EXPL' . TRAC . DE NATAL' . SANCTI IOHANNES BAPTISTE .

Augustini sermo 290 cum pleniore exordio, de quo in nota Maurini.

LXI. f. 100$^{V}$ INCIPIT TRACTATUS DE NATAL' . SANCTI IOHANNES BAPTISTE . Diei hodierni sollemnitas . . . in praesepio positus est . amen . EXPLICIT TRACTATUS DE NATALE SANCTI IOHANNIS BAPTISTE . III .

Eiusdem sermo 292.

LXII. f. 105$^{V}$ INCIPIT TRAC . DE NATALE SANCTI IOH . BAPT . IIII . De Iohanne baptista . non euangelista . cuius hodie natalis celebramus diem . . . breuiter concludam . homo humilietur . deus exaltetur . qui gloriatur in domino glorietur . amen . EXPL . TRAC . DE NATAL' . SANCTI IOHANNIS BAPTYSTE .

De sancto Christi praecursore sermo ineditus: cui licet uno saltim loco nonnulla deesse uideantur, tamen ea quae supersunt et sententiarum grauitate et eloquentiae splendore suum Augustinum clamitant auctorem; nec contra dicunt exempla sacrae scripturae ex antiqua uersione adducta.

LXIII. f. 108 INCIPIT TRACTATUS DE NATALE SANCTI IOHANNIS BAPTISTE . V . Quem diem celebramus hodiernum . . . haue gratia plena . Conuersi ad dominum . EXPL' . TRAC . DE NATALE SANCTI IOHANNIS BAPTISTE . VI .

Sermo inter genuinos 291.

LXIV. f. 110$^{V}$ INCIPIT TRACTATUS DE NATALE SANCTOR . APOSTOLOR . PETRI ET PAULI . I . Debuimus quidem tantorum martyrum diem . . . magistrum in caelo habemus . amen . EXPL' . etc .

Sermo 298.

LXV. f. 112$^{V}$ INCIPIT TRACTATUS DE NATALE SANCTOR . APOSTOLOR . PETRI ET PAULI . II . Hodiernum nobis diem festum . . . peruenire mereamur . amen . EXPL' . etc .

Sermo 297.

LXVI. f. 116$^{V}$ INCIPIT TRACTATUS DE NATALE SANCTOR . APOSTOLORUM PETRI ET PAULI . III . Apostolorum passio beatorum istum nobis sacrauit diem . . . expectationi caritatis uestrae . quantum coronator eorum dignatus est . non defuit . amen . EXPL . etc .

Contionem de Paulo apostolo Augustini nomine inscriptam Caillau (serm. 52) et Mai (serm. 103) superiore saeculo ediderunt, cuius uel prima uerba Procedat nobis et beatus Paulus ex prolixiore sermone decerptam eam esse testantur; atqui hunc ipsissimum sermonen tibi nunc ex Guelferbytano codice exhibeo, cuius nonnisi altera pars hactenus uulgata erat. Se suosque auditores ‚in Africa constitutos' contionator aperte profitetur, et, uti alias Augustinus, ad hymnum Ambrosianum Apostolorum passio diem sacrauit saeculis in ipsa fronte orationis adludit; idem de meritis hominis ac Dei gratia haud aliter atque s. Doctor consueuit eloquitur; denique ea lecta cantataque fuerant, quae huic sollemnitati propria in Hipponensi ecclesia fuisse ex reliquis quoque sermonibus constat: epist. 2. ad Timoth. 4, 6; psalm. 18; euang. Ioh. 21, 15 sqq.

LXVII. f. 119 INCIPIT TRACTATUS DE NATALE SANCTOR. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI . IIII . Beati apostoli Petrus et Paulus diuersis temporibus sunt uocati . et uno die coronati . . . sed memento quia dei dona sunt merita tua . amen . EXPL' . etc .

Quod de praecedenti protuli tractatu, idem prorsus de hoc esto iudicium: ipse quoque ineditus est, Augustinianus est. Cuius licet initio trita sententia recoquatur, uno die fuisse apostolos coronatos, aliunde tamen uidetur beato pontifici dubium aliquando subortum esse, utrum eodem omnino die et anno, an uno die mensis, non autem eodem anno, passi sint: conf. serm. 295, n. 7, et Ernesti de Dobschütz dissertationem ‚Das Decretum Gelasianum' p. 255.

LXVIII. f. 121$^{V}$ INCIPIT TRAC. DE NATAL'. SANCTORUM MACCHABEORUM . I . Magnum spectaculum positum erat . . . et non inuenies locum eius . EXPL' . etc .

Sermo Augustini 301: hic uero, nescio quare, ultra sex primos uersus n. 7 non progreditur.

LXIX. f. 124 INCIP . TRAC . DE NATAL' . SANCTORUM MACCHABEORUM . II . Istum diem sollemnem gloria martyrum fecit . . . matrem traxit . amen . EXPL' . etc .

Sermo 300.

LXX. f. 126$^{v}$ INCIPIT TRAC . DE NATAL . SANCTI LAURENTI .
I . Beati Laurenti martyris dies sollemnis hodiernus est . . . non saeuitia timeatur . amen . EXPL . TRAC . DE NATALE SANCTI LAURENTI .

Sermo 302, ubi passim nonnulla a textu uulgato discrepant. Illud uero praecipuum est, quod ultimis uerbis in nostro codice subiungitur una ex iis quae post tractatum audiunt allocutiunculis, quarum exempla protuli in opere meo ‚Études, Textes, Découvertes', t. I, p. 299 et 304. Huic porro quinque sexue minio praescripta uerba sunt, quae legere iam non possis: in qua uir sanctus de his qui fugiunt ad ecclesiam mira prudentia disputat, statuitque satius esse ‚ut et nocentes in ecclesia muniantur, quam innocentes de ecclesia rapiantur'; quapropter fideles ut frequentes conueniant hortatur ‚ne quid indisciplinata audeat multitudo'. Qua ratione autem huiusmodi admonitio cum sermone de natali s. Laurentii connectatur perspicuum est, quippe in quo abominati hominis caedem populi furore, non legitima potestate factam, iamque iuxta seditionem uentum esse Augustinus queratur.

LXXI. f. 131$^{v}$ INCIP . TRAC . DE NATALE SANCTI LAURENTI .
Agnoscit fides uestra granum . . . ad gloriam aeternitatis . amen . EXPL . TRAC . DE NATAL . SANCTI LAURENTI . II .

Sermo 305, ex iis qui ab Iacobo Sirmond primum editi sunt ordine 26$^{us}$. Post cuius extrema uerba Christus teneatur in codice Guelferbytano haec legere est, quibus ullam auctoritatem haberi haud equidem putauerim: ‚His „uocibus excellentissimi saluatoris, et gratia eius et spiritu „eius et inspirato amore eius accensi sunt martyres tuba „ueritatis, exarserunt flamma caritatis, uicerunt promissa „uanitatis, peruenerunt ad gloriam aeternitatis.' Eadem paucis inmutatis in cod. Casinensi 12: cf. Migne 47, 1188 c. et ‚Biblioth. Casin.' I, 173.

LXXII. f. 133 INCIPIT TRAC . DE NATAL . SANCTI CYPRIANI .
I . Insignem martyrem Christi . per quem maxime istam rexit . . . sic laudatum esse gaudemus . amen . EXPL . etc .

Noua haec ac certo genuina oratio, de qua in ephemeride ‚Bulletin d'ancienne littérature et d'archéologie chrétienne' IV (1914), p. 17 sqq. latius commentatus sum; cui maxime pretium addit sancti Cypriani opusculorum index ab Augustino circa finem relatus.

LXXIII. f. 134$^{V}$ INCIP . TRAC . DE NATAL' . SANCTI CYPRIANI . II . Sollemnitatem sanctam eius martyris hodie celebramus . . . dicamus omnes . Deo gratias . Conuersi ad Dominum . amen . EXPL' . TRAC . DE NATAL . SANCTO CYPRIANO . II .

Ineditus pariter hic sermo, nec minus authenticus, sermoni 309 tam conclusione quam adductis ex Passione Cypriani locis persimilis. Ad festiuitatem martyris ‚omnium fratrum sororumque multitudo' conuenerat, lectumque erat euangelium Ioh. 12, 25, cantatus psalmus 125.

LXXIV. f. 136$^{V}$ INCIPIT TRAC . DE NATAL' . SANCTI CYPRIANI . III . Dominus et saluator noster Iesus Christus . in quo spes nobis est salutis aeternae . . . potens est dominus ab omni malo nos liberare. amen . EXPL' . etc .

Perinde ac duo praecedentes et inedita et Augustiniana est haec oratio, sed longior, ac praecipue in Donatistas directa, quorum clamor Deo laudes responsioni martyris Cypriani Deo gratias oppositus, omnibus Christianis catholicis terrorem incutiebat. Hos Augustinus hortatur, ne timeant haereticorum collectiones, ne timeant praecipitatorum congregationes: aduersus quos ipse constanter protestatur ‚non esse haereticos martyres, non esse martyres circumcelliones', ad omnem euentum mortemque ipsam paratissimus, dum boni episcopi officium ne praetermittat.

LXXV. f. 140 INCIPIT TRAC . DE NATAL' . SANCTI CYPRIANI . IIII . Sancta sollemnitas beatissimi martyris . quae nos in domini congregauit . . . aram fecimus Cyprianum . EXPL' . etc .

Inter sermones a Michaele Denis primum uulgatos ordine XIV$^{us}$, Migne 46, 862—866: atque adeo ex his quattuor in natale Cypriani orationibus, quot uidelicet Possidius in Catalogo notauit, nulla priscis editoribus, nulla Maurinis ipsis innotuerit.

LXXVI. f. 142 INCIPIT TRAC . DE MARTA ET MARIA SIGNIFI-CANTIBUS DUAS VITAS . Sanctum euangelium cum legeretur . audiuimus a femina religiosa . . . ideo non mergimur . quia crucis ligno portamur . amen . EXPL' . TRAC . DE MARTHA ET MARIA SIGNIFICANTES DUAS VITAS . I .

Priore parte conuenit cum sermone benedictinae editionis 104: reliqua uero, quae ad tres paginas excurrunt, etsi in nostro tantum codice leguntur, et ipsa pulcherrima sunt, atque in omnibus Augustinum referunt; quae cum praecedentibus manifeste adnexa sint, neque alibi, quod sciam, in sancti pontificis operibus reperiantur, integram contionem lectori philaugustino hic primum exhibere uisum est.

LXXVII. f. $145^{V}$ INCIPIT TRAC . DE PARTU SANCTAE MARIAE . I . Sunt quidam qui dicunt fieri non posse ut Christus de Maria . . . et culpam sanauit . et poenam curauit . amen . EXPL' . etc .

Breue neque ullius momenti fragmentum, quod quamdam similitudinem habet cum sermone inter Maianos 76, n. 3 sq.

LXXVIII. f. 146 INCIPIT TRAC . DE NATAL' . SANCTOR . SCILITANORUM IN BASILICA NOBARUM . Martyrum Christi uirorum et feminarum fortitudo Christus . . . omnia cooperantur in bonum . amen . EXPL' . TRAC . DE NATAL' . SANCTOR . SCILITANORUM . I .

Notantur a Possidio c. 9 ‚per natalem sanctorum martyrum Scillitanorum tractatus duo‘. Ex quibus unum Michael Denis e suo codice Neapolitano edidit (Migne 46, 869—874); alterum porro sermonem esse 155 existimauit, quippe qui ‚habitus in basilica ss. martyrum Scillitanorum‘ in uetere Sessoriano ms. praenotetur. Verum hunc ad diem natalem martyrum pertinere nullo argumento collegitur, immo legenti aliter esse apparet: at is profecto, quem inter cetera spolia magnifica e Guelferbytano libro modo eruimus, Carthagine recurrente Scillitanorum sollemnitate, neque a quoquam praeter Augustinum prolatus est. Ex quo id obiter animaduertere iuuat, recitata eo die in ecclesia fuisse praefatorum martyrum Acta, et quidem qualia a sociis Bollandianis in ‚Bibliotheca hagiographica latina‘ n. 7532 sq. tertio loco recensentur, ipsa scilicet quae et in sermone ‚De

tempore barbarico' Augustino olim adscripto laudantur (Migne 40, 703). Quod autem ,in basilica Nouarum', quae inter ,nominatas et amplas' teste Victore Vitensi eminebat, sermo noster habitus est, forsitan exigua nimis illa fuerit uel maiore distans interuallo, quae ss. martyribus dedicata erat. Denique istud etiam notatu dignum, quemadmodum in sermone Augustini 14, qui et ipse ,Carthagine in basilica Nouarum' habitus praescribitur, ita et in hac oratione de paupertate et diuitiis deque Lazaro illo euangelico latius disputari, quam rei dieique ratio postulasse uideatur.

LXXIX. f. 150 INCIPIT TRAC . DE NATAL' . SANCTOR . PERPETUAE ET FELICITATE . I . Refulget et preminet inter comites martyres . . . omnium signata sollemnitas . amen . EXPL' . TRAC . DE NATAL' . SANCTOR . PERPETUA ET FELICITATE . I .

Sermo August. 281.

LXXX. f. 150$^{v}$ INCIP . DE NATAL' . SANCTOR . PERPETUA ET FELICITATIS . II . Martyres sancti quorum hodie sollemnitas celebratur . inter quos Perpetua et Felicitas eminent . . . quibus iste nobis consecratus est dies pro tempore pauca suffecerint . amen . EXPL' . TRAC . DE NATAL . SANCTORUM PERPETUAE ET FELICITA . II .

Ineditus quoque hic sermo iure habeatur, licet extrema pars a uerbis Perpetua quippe et Felicitas nomina quidem duarum cum serm. 282, n. 1, eadem omnino sit. In quo utique haud omnia aeque placent, at neque in nostro, quae Augustini reuera esse adserantur: quippe in quo s. Doctoris sensus, sed inaequali plerumque ac tumida dictione uestitosne dicam an deformatos agnoscas. Neque minus suspicionem adferunt quae in eo laudantur sacrae scripturae loca, ut puta Matth. 24, 19 Vae praegnantibus et lactantibus in illis diebus, cum ab Augustino primum ,mammantibus', postea uti habet Vulgata ,nutrientibus', nusquam uero ,lactantibus' lectum esse constet; quod ultimum contra legisse uidetur, quisquis is demum fuerit, sermonis ,De tempore barbarico' auctor, ubi de iisdem martyribus ita pronuntiat: ,Una earum erat praegnans, alia lactans' (Migne 40, 703, n. 6). Ceterum oratio digna est quae legatur, quam

uelut egregium ecclesiae Africanae erga martyres Thuburbitanos pietatis monumentum in Appendicem referendam censui, inter Quoduultdei episcopi opuscula et ipsam fortasse aliquando conlocandam.

LXXXI. f. 152$^{v}$ INCIPIT TRAC . DE NATAL' . SANCTOR . MARTYRUM . Memoriam martyrum celebramus . laudes ergo martyrum . . . festa martyrum celebrantes in sobrietate mentis . non in ebrietate uentris . simul deo placentes . amen . EXPL' . TRAC . DE NATAL' . SANCTORUM MARTYRUM . I .

Sermo August. 64. cum eodem exordio iisdemque uarietatibus atque in Vigneriano supplemento: cf. Migne 38, 425, not. 1.

LXXXII. f. 153$^{v}$ INCIPIT TRAC . DE NATAL' . SANCTORUM MARTYRUM . II . Beatificamus martyres sanctos prae ceteris hominibus . . . sed maledictus omnis qui spem suam ponit in homine . amen . EXPL' . TRAC . DE NATAL' . SANCTOR . MARTYRUM . II .

Inedita ae pulcherrima de primis uersibus Psalmi 145 oratio: in qua etsi me nonnulla prima specie offenderint, ut insolitum uerbum experibor ac saepius repetita sententia unus contra unum, postquam tamen ea ipsissima in genuinis quoque Augustini operibus extare deprehendi, omnis iam ex animo scrupulus exemptus est. Quod idem dixerim de latina quam contionator explicat uersione Psalmorum: nimirum nihilo ea differt a Veronensi Psalterio, quocum Augustinum plerumque consentire notum est.

LXXXIII. f. 156 INCIPIT TRAC . DE NATAL' . SANCTORUM MARTYRUM . III . Dies sollemnis sanctorum martyrum debitus sermo . . . unum pretium datum est pro omnibus nobis . amen . EXPL' . TRAC . DE NATAL' . SANCTORUM MARTYRUM . III .

Sermo August. 325, nonnullis in clausula mutatis, quae Hipponensi uiginti Martyrum memoriae, in qua oratio habita est, nimis propria esse uidebantur.

LXXXIV. f. 157 INCIPIT TRAC . DE ORDINATIONE EPISCOPI . I . Hodie caritati uestrae . ex quo nos deus dignatus est . . . numeroso possessore amplius dilatatur . amen . EXPL' . TRAC . DE ORDINATIONE EPISCOPI . I .

Haec totius collectionis gemma, ac uere aureus sermo, quo quid possit ‚benedictus doctor Israhel', quid pacis catholicae atque unitatis eximius amator, splendidissime apparet. Quem ut in ephemeride ‚Revue Bénédictine' XXX (1913), p. 398—408, cum breui commentario primum euulgaui, statim laudare homines ac stupere, tam praecipuum Augustinianae eloquentiae miraculum eruditorum uirorum oculos hactenus fefellisse. Cui eo etiam pondus additur, quod certum temporis prae se ferat indicium: nam paullo post collationem Carthaginiensem an. 411 habitus est, ex cuius Actis circa finem testimonium profertur.

LXXXV. f. 163 INCIP . TRAC . DE CALENDIS IANUARIIS . I . Dies calendarum istarum . fr . dil . quas ianuarias . . . a domino praemia repensentur . Quod ipse praestare, etc.

Sermo Append. August. 129, Caesariique Arelatensis fetus indubitatus, quemadmodum alii tres supra, fol. 16. 18. et $19^{v}$.

LXXXVI. f. $164^{v}$ INCIPIT TRAC . DE CONDENDO THESAURO . I . Omnis homo in tribulatione aliqua constitutus . . . qui dedit consilium corrigendi . Conuersi ad dominum . amen.

Augustini sermo 60, sed inde a cap. VII dissimilis ac breuior.

LXXXVII. f. 167 INCIPIT TRAC . AD CONIUGATOS . I . Audite carissimi membra Christi . et matris catholicae filii . . .

Sermo 392, qualis a Maurinis in nota describitur, id est, absque aduenticio de muliere curua exordio, quod equidem ex sermone a Possidio c. 9 notato truncum iam fragmentum superesse putauerim.

LXXXVIII. f. 169 INCIPIT TRAC . DE BONO CONIUGALI ET MALO CONCUB . I . Quando castitatis bonum . fratres carissimi . secundum quod et decet . . . praemium feliciter peruenire . Praestante domino etc . EXPL' . TRAC . DE BONO CONIUGALI . ET DE VITANDIS CONCUBINIS . I .

Haec pariter a Caesario composita oratio (= Append. Aug. serm. 289), quam uero in antiquioribus codicibus rarius, quantum longi temporis experimento compertus sum, inuenias.

LXXXIX. f. 171v INCIP . TRACTA . DE AVARITIA . Sermonis nostri propositio apostolica lectio . Nihil inquit intulimus in hunc mundum . . . a quo tua debita relaxari petisti . amen .

Sermo Augustini 177, idem, ni fallor, qui a Possidio quoque c. 9 ‚De auaritia' notatus est. Hunc nonnisi in editis uidisse se Maurini testantur: quare haud superfluum fuerit textum cum Guelferbytano diligenter conferre. Quod autem iisdem uisum, n. 9 pro mendacissimo thesauro ‚mendicissimo' legi oportere, nihil coniectura aberrarunt, quippe cui et nostri codicis accedat auctoritas.

XC. f. 176 INCIPIT TRAC . DE DIVITE ET PAUPERE LAZARO . I . Sancta lectio si in ista uita nos salubriter terreat . . . cum panem dabit . seipsum dabit . amen . EXPL' . TRAC . DE DIVITE ET PAUPERE LAZARO . I .

Conuenit fere cum sermone inter Maianos 13. ex ms. Vatic. 5758. primum uulgato, nisi quod in nostro fragmentum legitur ex serm. 86, n. 2. accitum, textusque haud parum immutatus est; ubi etiam locus ex Iacobi epistula 2, 13 sic profertur: ‚superexultat autem misericordia iudicio' (corr. iudicium), ut in epist. August. 167, n. 13.

XCI. f. 178 INCIPIT TRAC . DE MULIERE SAMARITANA . Multa lecta sunt et magna et necessaria . . . salientis in uitam aeternam . amen . EXPL' . etc .

Ex Augustini Tract. 15. in Ioh. priori parte consarcinatus. Neque abs re fuerit hoc loco animaduertere, simili modo a Caesario de inimicis diligendis perorante Tractatum in Ioh. 18 in rem suam conuersum esse.

XCII. f. 180 INCIPIT TRAC . DE MULIERE CANANEA . SECUNDUM MATHEUM . Mulier ista quae clamabat post dominum audistis quemadmodum quaesierit . petierit . pulsauerit . . . et ut fiat quod iubet . rogatur deus . et adiuuat deus . amen . EXPL . TRAC . DE MULIERE CANANEA . SECUNDUM MATH .

Exstant hactenus duo saltim de hac Chananaea sermones Augustino adscripti, unus apud Maurinos 77, alter inter Maianos 4; hicce porro ab utroque omnino differt, atque ineditis uidetur accensendus. Qui licet per omnia Augustino dignissimus, tamen utrum re uera sancto episcopo adscri-

bendus esset ob hoc a me aliquando dubitatum fuit, quod Psalmi 56[1] uerba haec cantata esse dicantur ‚Miserere mei, deus, miserere mei, quoniam in te confisa est anima mea', cum Augustinus alibi constanter legat confidit. Verum ex recenti dissertatione Pauli Capelle ‚La texte du psautier latin en Afrique' (Collectanea biblica t. IV. Romae 1913), p. 142 sq. demum intellexi, lectionem confisa est ad antiquiorem translationem pertinere, quae in usu liturgico antiphonis decantandis multo adhuc tempore perstitit, postquam translatio ipsa alteri cesserat emendatiori. Nec forsitan is ita a uero aberret, qui hunc ipsum tractatum a Possidio c. 8. his uerbis notatum autumauerit: ‚De responsorio psalmi quinquagesimi sexti, Miserere mei, deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.' Recitatum eadem die fuerat euangelium Matth. 15, 21—28, item lecta epist. ad Rom. 7, 14 sqq., atque ex hac praecipue argumentatur orator, qua instantia, ut fiat quod iubet, rogandus sit Deus.

XCIII. f. 182 INCIPIT TRAC . DE VASTATIONE ROMAE . Intueamur primam lectionem sancti Danihelis prophetae . . . etiam exitum ut possitis sustinere . amen . EXPL' . etc .

Augustini ‚De urbis excidio sermo' a Maurinis seorsum in tomo 6. inter alia opuscula conlocatus: Migne 40, 716—724.

XCIV. f. 186ᵛ INCIPIT TRAC . DE TEMPORE BARBARICO . Magna plaga uulneris magnum exigit remedium . . . et Arrianum prosternet rebaptizantem . amen . EXPL' . TRAC . DE TEMPORE BARBARICO .

Habetur quidem in eodem tomo 6. sermo ‚De tempore barbarico' Augustini quondam nomine inscriptus. Iste uero omnino ab eo diuersus: qui primum ab Angelo Mai in ‚Noua PP. Bibliotheca' I. 274—282, sed ex exemplari pessimo et ultima parte truncato editus est. Ipsum iam omnibus numeris absolutum ad calcem huius uoluminis denuo euulgabo: ex quo et Caesarius nonnulla expilauit, atque in sermonem transtulit, quem Arelate a Francis Burgundionibusque obsessa an. 508 ad populum habuit (Append. August. s. 298). Quis autem tractatus auctor habendus sit, in disser-

tatiuncula de opusculis s. Quoduultdeo Carthaginiensi episcopo restituendis ante biennium latius prosecutus sum: ubi inter cetera hanc quoque de capta Carthagine lamentationem ipsi tuto adscribi posse ostendi, cuius quoque nomini fortasse addicendi sunt Tractatus Appendicis nostri IV. VII. et VIII.

XCV. f. 192$^{v}$ INCIPIT EPISTOLA DE PRESSURIS TEMPORALIBUS SERVORUM DEI . Domino dilectissimo et desiderantissimo fratri et conpresbytero Victoriano Augustinus episcopus . Litterae tuae impleuerunt grandi dolore . . .

Est Augustini epistula 111, cuius extremam partem, ut dixi, deficiente ultimo folio manus saeculi XV. suppleuit.

* * *

Summa igitur totius descriptionis erit haec: constat collectio Guelferbytana tractatibus 95, immo 96, si rationem ducas tractatus XXXIII$^{\text{i}}$ post LII$^{\text{um}}$ secundo transscripti. Ex iis porro

31 inter sermones Augustini iam cognitos atque indubiae auctoritatis numerum obtinent (2. 14. 16. 17. 27. 31. 32. 41. 42. 45. 48. 49. 53. 54. 56. 58—61. 63—65. 69. 71. 75. 79. 81. 87. 89. 93. 95.), quorum aliquot, quippe qui codicem unum aut etiam nullum hucusque sponsorem habeant, ad hoc uenerandae antiquitatis antigraphum recognoscere maxime expediet;

9 genuinis licet et ipsi accensendi, at hic diuersimode interpolati, adulterati, detruncati exhibentur (20. 26. 28. 57. 68. 83. 86. 90. 91.);

15 non Augustiniani quidem, tamen Augustino iam inde antiquitus adscripti sunt: ex quibus unus (29) Hieronymum, alius (10) Maximum Taurinensem, quinque (11. 12. 13. 85. 88.) Caesarium, reliqui (1. 4. 5. 7—9. 77.) Africanos aliosque anonymos habent auctores, praeter unum (94), qui Quoduultdei episcopi esse uidetur, et hic primum integer in lucem prodit;

32 haud minus Augustini fetus sunt indubitati, qui saltim ex parte (15. 66. 70. 76.), plerique etiam ex toto (21—25. 30. 33—37. 40. 44. 46. 47. 50—52. 55. 62. 67. 72—74. 78. 82. 84. 92.) hucusque incogniti erant: porro duorum auctoritati (22. 24.) Eugippius, Beda Florusque adstipulantur; duorum uero (35. 40.) fragmenta solummodo, eaque alienis mercibus inmixta, Angelus Mai saeculo superiori publicauit; tres denique (51. 70. 84.) ad euentus referuntur, qui aliis Augustini scriptis testati sunt;

8 tandem hactenus pariter ineditos, etsi Augustino minus dignos putauerim, at ii certe neque sexto saeculo inferiores sunt, et ad priora christianae religionis tempora inlustranda minime spernendi (3. 6. 18. 19. 38. 39. 43. 80.); ex quibus unus (6) Optato Mileuitano episcopo, qui Augustinum aetate praecessit, haud sine aliqua ueri similitudine alibi adscribitur.

Quae omnia si una simul contuleris, mecum facile consenties, haud aliter olim collectionem inscriptam fuisse, ac subsimilem alteram, quae in catalogo Laureshamensi saec. X (Becker ‚Catalogi bibliothecarum antiqui' 37, 188) copiose describitur, id est: TRACTATVS SANCTI AVGVSTINI EPISCOPI.

Porro si quaeras, quo demum loco, quoue auctore confecta sit, id primum adtendas uelim, ex omnibus scriptoribus, qui ei efformandae aliquid contulerunt, recentiorem nullum esse Caesario; item nonnullos ex iis, qui hic noui tractatus habentur, ab eo alias, ab eo, inquam, uno in rem suam conuersos fuisse, uerbi gratia 84$^{um}$ et 94$^{um}$; huius denique artem ingeniumque referre modum, quo uel anteriorum patrum opuscula pro captu popularis mediocritatis adcommodantur, aut etiam Arelatensis episcopi homiliis intermiscentur, quod ipse ita excusare solebat: ‚Si uerba Domini et prophetarum siue apostolorum a presbyteris et diaconibus recitantur, Ambrosii, Augustini seu paruitatis meae aut quorumcumque doctorum catholicorum a presbyteris et diaconibus quare non recitentur?' (Vita Caesarii I, 54.)

Et in iis quidem sermonum libellis, quos aetate iam prouectior composuit, liberius ab eo ac frequentius admonitiones suae homiliaeque insertae sunt; in prioribus e contra multo parcius, uti uidere est in notissima collectione ‚Quinquaginta homiliarum', quae cum nonnisi octodecim Caesarianas contiones complectatur, easque maximam partem ex diuersis congestas, cetera Augustinianis excerptis atque tractatibus constat. Atqui minori adhuc numero in nostra sylloge comparent ab ipso Caesario conscripti sermones, quam idcirco ad eius episcopatus primordia pertinere facile crediderim. Quod idem alia ratione deduci potest, ex tribus nempe ultimis tractatibus, qui omnes ad bella damnaque a barbaris Romae, Carthagini, uniuerso imperio inflicta referuntur: quorum secundum cum Caesarius, dum de Arelatensi obsidione an. 508 uerba faceret, expilarit, pronum est totam collectionem sub idem tempus confectam conicere. Itaque hoc quoque inter cetera s. episcopus rei literariae christianae profuerit, quod magni Augustini, cuius ‚catholicissimum sensum' semper dilexit (Vita II, 46), haec splendidissima supellex opesque uere regiae posteris seruatae sint.

Prodeat tandem uel luctuosissimo tempore liber insigni diuini Numinis beneficio diuturnae obliuioni ereptus, ac nostrae aetatis hominibus argumento sit, bello etiam atrocissimo ubique terrarum impie grassante arcem saltem unam tutam superesse, in qua humaniores mentes, in qua omnes, qui in Christo fratres se esse meminerint, profana odia dediscant, ueritatis pulchritudinisque religione concordent.

Scribebam Monaci die natali Domini nostri Iesu Christi an. M.C.M.XVI.

Germanus Morin.

# SANCTI AVRELI AVGVSTINI

# TRACTATVS TRIGINTA TRES

IN

CODICE GVELFERBYTANO

NVPER REPERTI

G = CODEX GUELFERBYTANUS 4096. SAEC. VIIII EXARATUS

SIGNO | PAGINAE FINEM INDICAVI
" || FOLII " "

SINGULOS TRACTATUS IN SECTIONES NUMERIS INTERPOSITIS DIGESSI

gratiam. non debitam sed gratuitam. Non sum inquit dignus uocari a
postolus. sed gratia dei sum quod sum. Modo autem debitum exigit. Bonum
certamen certaui cursum consummaui fidem seruaui. De cetero
autem superest mihi corona iustitiae debetur mihi. Et ut scias quia de
betur quam reddet mihi. non dixit dat mihi aut donat mihi. sed reddet
mihi dominus in illa die iustus iudex. Misericors donauit mihi. iustus reddet
mihi. Video beate paule quibus corona debetur meritis tuis. sed respi
ciens quod fuisti agnosco. dei dona sunt ipsa merita tua. Dixisti bonum cer
tamen certaui sed tu ipse dixisti gratias deo. qui dat nobis uictoriam per dominum
nostrum ihesum christum. Bonum ergo certamen certasti. sed christo donante uicisti. dixisti
cursum consummaui sed tu ipse dixisti. non uolentis neque currentis sed
miserentis est dei. Dixisti fidem seruaui sed tu ipse dixisti misericordiam
consecutus sum ut fidelis essem. Uidemus ergo dei dona esse merita tua. et
ideo gaudemus de corona tua. Et si laudibus beatorum apostolorum quorum
sollemnitatem celebramus impar fuit tamen expectationi caritatis
uestrae quantum coronator eorum dignatus est non defuit. Amen.

EXPL TRACTATUS DE NATALE SCORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI. III.

INCIPIT TRAC DE NATALE SCORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI. IIII.

Beati apostoli petrus et paulus diuersis temporibus sunt uocati et
uno die coronati. Petrum dominus uocauit ante omnes. paulum post omnes.
Apostolorum petrus primus. paulus nouissimus. adduxit eos ad unum
diem. primus et nouissimus. pulcherrima integritas procurat quan
do cum primis extrema concordant. Apostolus petrus titubauit
in mari. Petrus solus titubauit sed solus in mari ambulauit. Solus ter
morte negauit dominum. sed solus a morte usque ad periculum secutus est dominum.
Fuit ibi et beatus iohannes. sed de amicitia sacerdotum principis presu
mebat. Erat enim amicus iohannes principis sacerdotum. ad cuius domum
ductus est dominus. Petrus a morte secutus est. trepidauit infirmitas

SPECIMEN SCRIPTVRAE

COD. GVELFERBYT. 4096, FOL. 119.

# DE SYMBOLO

Apostolus dicit: Erit, omnis qui inuocauerit nomen domini saluus erit. Ad istam salutem curritis, qui nomina uestra dedistis ad baptis || mum: fol. 24 salutem, non parui temporis, sed aeterni: salutem, quae non est nobis pecoribusque communis, neque hominibus bonis et malis. Videtis enim, et certum est omnibus nobis, quoniam salus praesentis temporis, pro qua obtinenda uel reparanda multum homines laborant, non soli homines habent, sed etiam pecora, magna et parua: a draconibus et elefantis usque ad muscas et uermiculos pertendit haec salus. Deinde ipsi homines habent istam salutem, et qui inuocant deum et qui blasphemant deum; unde dicit sanctus psalmus: Homines et iumenta saluos facies domine, sicut multiplicata est misericordia tua deus; filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Salus ergo ista per multiplicem misericordiam dei peruenit ad extrema animalia: filii autem hominum, qui pertinent ad filium hominis, sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Hoc facimus in hac uita: modo speramus, quod postea accipiamus. Et quid promittit ipse psalmus? Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente uoluptatis tuae potabis eos: quoniam apud te est fons uitae. Fons uitae Christus est: ut modo de illo aliquid gustaremus, homo factus est; seruatur autem nobis eius ubertas, quae satiat angelos et omnia caelestia ministeria. Sed hoc postea: modo autem, ut ad illud peruenire possimus, deum inuocemus ut salui simus, secundum apostolum qui dixit: Omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Propheta hoc antea dixerat: sed Paulus apostolus dixit modo transisse tempus quando inpleatur quod scriptum est, Omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Iam dixi qua salute, ne forte modo dicatis: Quare et inuocantes nomen domini non salui sunt? Saluus erit. Deinde adiunxit ipse apostolus: Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credunt, quem non audierunt? Quomodo

Ut salui simus, prius credendum est, postea inuocandum.

autem audient sine praedicante? aut quomodo praedicabunt, si non mittantur? Sicut scriptum est: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Nemo ergo potest saluus esse, qui non inuocauerit: nemo potest inuocare, nisi primo|crediderit. 24 v Quia ergo iste ordo est, ut prius credatis, postea inuocetis, hodie accipitis symbolum fidei, in quo credatis; post octo autem dies orationem, in qua inuocetis.

Oratio dominica octo diebus post symbolum neophytis tradita.

2. Symbolum est ergo breuiter conplexa regula fidei, ut mentem instruat, nec oneret memoriam; paucis uerbis dicatur, unde multum adquiratur. Symbolum ergo dicitur, in quo se agnoscant Christiani: hoc est quod primum uobis breuiter pronuntiabo. Deinde, quantum dominus donare dignatus fuerit, aperiam uobis; ut quod tenere uos uolo, et intellegere ualeatis. Hoc est symbolum. *Et post symbolum:* Non est multum, et multum est; non opus est ut uerba numeretis, sed appendatis. Credo in deum patrem omnipotentem. Vide quam cito dicitur, et quantum ualet. Deus est, et pater est: deus potestate, pater bonitate. Quam felices sumus, qui deum nostrum patrem inuenimus! Credamus ergo in eum, et omnia nobis de ipsius misericordia promittamus, quia omnipotens est: ideo in deum patrem omnipotentem credimus. Nemo dicat: Non mihi potest dimittere peccata. Quomodo non potest omnipotens? Sed dicis: Ego multum peccaui. Et ego dico: Sed ille omnipotens est. Et tu: Ego talia peccata commisi, unde liberari et mundari non possum. Respondeo: Sed ille omnipotens est. Videte quid ei cantetis in psalmo: Benedic, inquit, anima mea domino, et noli obliuisci omnes retributiones eius, qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos. Ad hoc nobis est eius omnipotentia necessaria. Nam uniuersae creaturae ad hoc erat necessaria, ut crearetur: omnipotens est ad facienda maiora et minora, omnipotens est ad caelestia et terrestria, omnipotens est ad facienda inmortalia et mortalia, omnipotens est ad facienda spiritalia et corporalia, omnipotens est ad facienda uisibilia et inui-

Hic pronuntiabantur uerba ipsa symboli.

Deus potestate deus est, pater bonitate.

Ad hoc nobis omnipotentia Dei necessaria, ut peccata dimittat.

sibilia, magnus in magnis, nec paruus in minimis; postremo omnipotens est ad facienda omnia quae facere uoluerit. Nam ego dico quanta non possit: non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli; tanta non potest, quae si posset, || non esset omnipotens. Credite ergo in eum, fol. 25 et confitemini: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ideo cum credideritis, oportet ut confiteamini, quando symbolum redditis. Accipite modo quod teneatis, et postea reddatis, et numquam obliuiscamini.

Christus unicus patri filius, nobis unicus saluator.

3. Post hoc quid? Et in Iesum Christum. Credo, dicis, in deum patrem omnipotentem, et in Iesum Christum filium eius unicum, dominum nostrum. Si filium unicum, ergo patri aequalem: si filium unicum, ergo eiusdem substantiae cuius est pater: si filium unicum, ergo eius omnipotentiae cuius est pater: si filium unicum, ergo patri coaeternum. Hoc in se, et apud se, et apud patrem. Propter nos quid? ad nos quid? Qui natus est de spiritu sancto et uirgine Maria. Ecce qua uenit, quis, ad quos: per uirginem Mariam, in qua operatus est spiritus sanctus, non homo maritus; qui fecundauit castam, et seruauit intactam. Sic ergo carne indutus est dominus Christus, sic factus est homo qui fecit hominem: assumendo quod non erat, non perdendo quod erat. Verbum enim caro factum est, et habitauit in nobis. Non Verbum in carnem uersum est, sed Verbum manens carne accepta, inuisibilis semper, factus est uisibilis quando uoluit, et habitauit in nobis. Quid est, in nobis? In hominibus, factus unus ex hominum numero: unus et unicus, unicus patri. Nobis quid? Et nobis unicus saluator, nemo enim praeter ipsum saluator noster; et nobis unicus redemptor, nemo enim praeter ipsum redemptor noster: non auro, non argento, sed sanguine suo.

4. Ergo ipsa, ubi empti sumus, eius commercia uideamus. Cum enim dictum esset in symbolo, natus de spiritu sancto et uirgine Maria, iam quid pro nobis passus est? Sequitur: Sub Pontio Pilato crucifixus et sepultus.

Quid? filius dei unicus dominus noster crucifixus? filius dei unicus dominus noster sepultus? Homo crucifixus est: deus non est mutatus, deus non est occisus; et tamen secundum hominem occisus: Si enim cognouissent, ait apostolus, numquam dominum gloriae crucifixissent. Et dominum gloriae ostendit, et crucifixum confessus est: quia si
25v quis etiam tuam tunicam illaesa carne tua conscindat, |tibi facit iniuriam; nec sic clamas pro ueste tua, ut dicas, Conscidisti tunicam meam, sed, Conscidisti me, dissipasti me, fila de me fecisti. Loqueris ista integer, et uerum dicis, et de carne tua nihil detraxit qui laesit. Sic et dominus Christus crucifixus est. Dominus est, unicus patri est, saluator noster est, dominus gloriae est: tamen crucifixus est, sed in carne, et sepultus in sola carne. Nam ubi sepultus est, et quando sepultus est, tunc ibi nec anima fuit, sola caro in sepulcro iacebat: et tamen confiteris Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum, qui natus est de spiritu sancto et uirgine Maria. Quis? Iesus Christus, unicus filius dei, dominus noster. Sub Pontio Pilato crucifixus. Quis? Iesus Christus, unicus dei filius, dominus noster. Et sepultus. Quis? Iesus Christus, unicus dei filius, dominus noster. Sola caro iacet, et tu dicis „Dominus noster“? Dico, plane dico: quia uestem intueor, et uestitum adoro. Caro illa illius uestimentum fuit: quia cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse aequalis deo, sed semet ipsum exinaniuit, formam serui accipiens, non formam dei amittens, in similitudine hominum factus, et habitu inuentus ut homo.

Quomodo recte dicatur filius Dei cruxifixus et sepultus.

5. Non contemnamus solam carnem: quando iacuit, tunc nos emit. Quare nos emit? Quia non semper iacuit: tertia enim die resurrexit a mortuis. Hoc sequitur in symbolo; cum confessi fuerimus eius passionem, confitemur et resurrectionem. In passione quid egit? docuit quid toleremus. In resurrectione quid egit? ostendit quid speremus. Hic opus, ibi merces: opus in passione, merces in resurrectione. Nec, quia resurrexit a mortuis, hic remansit: sed quid sequitur?

In passione docuit quid toleremus, in resurrectione quid speremus.

Ascendit in caelum. Et modo ubi est? Sedet ad dexteram patris. Intellege dexteram, ne quaeras ibi sinistram: dextera dei dicitur aeterna felicitas; dextera dei dicitur ineffabilis, inaestimabilis, inconprehensibilis beatitudo atque prosperitas. Haec est dextera dei, ibi sedet. Quid est, ibi sedet? Ibi habitat: sedes enim dicuntur, ubi quisque habitat. Non enim, quando illum uidit Stephanus sanctus, mentiebatur qui dicebat Sedet ad dexteram patris. Quomodo enim dicit Stephanus? Ecce ego uideo caelum || apertum, fol. 26 et filium hominis stantem ad dexteram dei. Quia ille uidit stantem, mentiebatur forte, qui dicebat tunc Sedet ad dexteram patris? Sedet ergo dictum est: manet, habitat. Quomodo? quomodo tu. Quo statu? Quis dicet? Dicamus quod docuit, dicamus quod nouimus.

6. Quid? Inde uenturus iudicaturus uiuos et mortuos. Confiteamur saluatorem, ne timeamus iudicem: qui enim modo in eum credit, et praecepta eius facit, et diligit eum, non timebit, quando ueniet iudicare uiuos et mortuos; non solum non timebit, sed ut ueniat optabit. Quid enim nobis felicius, quam quando uenit quem desideramus, quando uenit quem amamus? Sed timeamus, quia iudex noster erit: ipse tunc erit iudex noster, qui modo est aduocatus noster. Christi aduentus sperandus, non timendus. Audi Iohannem: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et ueritas in nobis non est; si autem confessi fuerimus peccata nostra, dixit, fidelis est et iustus, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate. Haec scripsi uobis, ut non peccetis: et si quis peccauerit, aduocatum habemus ad patrem Iesum Christum iustum; et ipse est exoratio peccatorum nostrorum. Si haberes causam apud aliquem iudicem agendam, et instrueres aduocatum, esses susceptus ab aduocato, ageret causam tuam sicut posset; et si non illam finisset, et audires illum iudicem uenturum, quantum gauderes, quia ipse potuit esse iudex tuus, qui fuit paulo ante aduocatus tuus? Et modo ipse pro nobis orat, ipse pro nobis interpellat; aduocatum eum habemus, et iudicem ti-

memus? Immo, quia aduocatum praemisimus, securi iudicem uenturum speremus.

7. Transitum est in symbolo quod pertinet ad Iesum Christum, filium dei unicum, dominum nostrum; sequitur Et in spiritum sanctum, ut conpleatur trinitas, pater et filius et spiritus sanctus. Sed de filio multa sunt dicta, quia filius suscepit hominem: filius Verbum caro factum est, non pater, non spiritus sanctus. Sed carnem filii tota trinitas fecit: inseparabilia enim sunt opera trinitatis. Sic ergo accipite spiritum sanctum, ut non credatis minorem esse quam filium, | aut minorem esse quam patrem. Pater enim et filius et spiritus sanctus, tota trinitas, unus deus: nihil ibi distat, nihil uarium, nihil defectiuum, nihil alteri contrarium; aequale semper, inuisibile et incommutabile, pater et filius et spiritus sanctus. Liberet nos trinitas a multitudine peccatorum.

Quare plura de filio dicta, quam de spiritu sancto.

26v

8. Iam quod sequitur ad nos pertinet. In sanctam ecclesiam. Sancta ecclesia nos sumus: sed non sic dixi ‚nos', quasi ecce qui hic sumus, qui me modo audistis. Quotquot hic sumus deo propitio christiani fideles in hac ecclesia, id est in ista ciuitate, quotquot sunt in ista regione, quotquot sunt in ista prouincia, quotquot sunt et trans mare, quotquot sunt in toto orbe terrarum — quoniam a solis ortu usque ad occasum laudatur nomen domini; sic se habet ecclesia catholica, mater nostra uera, uera illius sponsi coniunx. Honoremus eam, quia tanti domini matrona est; et quid dicam? Magna est sponso et singularis dignatio: meretricem inuenit, uirginem fecit. Quia meretrix fuit, non debet negare, ne obliuiscatur misericordiam liberantis. Quomodo non erat meretrix, quando post idola et daemonia fornicabatur? Fornicatio cordis in omnibus fuit: in paucis carnis, in omnibus cordis. Et uenit, et uirginem fecit: ecclesiam uirginem fecit. In fide uirgo est: in carne paucas habet uirgines sanctimoniales: in fide omnes uirgines debet habere, et feminas et uiros; ibi enim debet esse castitas et puritas et sanctitas. Nam uultis nosse quam uirgo sit? Apostolum Paulum audite, amicum sponsi audite, zelantem sponso, non sibi. Aptaui

Laus ecclesiae catholicae, uirginis et matris.

uos, inquit, uni uiro. Ecclesiae dicebat: et cui ecclesiae? Quocumque litterae illae peruenire potuerunt: Aptaui uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Timeo autem, dixit, ne sicut serpens Euam decepit astutia sua, sic uestrae mentes corrumpantur a castitate, quae est in Christo. Ubi times corrumpi, ibi uirgo es. Timeo, dixit, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua. Serpens ille numquid corporaliter concubuit cum Eua? Et tamen uirginitatem cordis eius extinxit. Hoc timeo, dixit, ne corrumpantur|| mentes uestrae a castitate, quae est in Christo. fol. 27 Virgo est ergo ecclesia. Virgo est, uirgo sit: caueat seductorem, ne inueniat corruptorem. Virgo est ecclesia. Dicturus es mihi forte: Si uirgo est, quomodo parit filios? aut si non parit filios, quomodo dedimus nomina nostra, ut de eius uisceribus nasceremur? Respondeo: et uirgo est, et parit: Mariam imitatur, quae dominum peperit. Numquid non uirgo sancta Maria et peperit, et uirgo permansit? Sic et ecclesia et parit, et uirgo est; et si consideres, Christum parit: quia membra eius sunt, qui baptizantur. Vos estis, inquit apostolus, corpus Christi et membra. Si ergo membra Christi parit, Mariae simillima est.

Mariae simillima est.

9. In remissionem peccatorum. Haec in ecclesia si non esset, nulla spes esset: remissio peccatorum si in ecclesia non esset, nulla futurae uitae et liberationis aeternae spes esset. Gratias agimus deo, qui ecclesiae suae dedit hoc donum. Ecce uenturi estis ad fontem sanctum: diluemini baptismo salutari, lauacro regenerationis renouabimini; eritis sine ullo peccato, ascendentes de illo lauacro. Omnia quae uos praeterita persequebantur, ibi delebuntur. Aegyptiis insequentibus Israhelitas similia erunt uestra peccata; persequentibus, sed usque ad mare Rubrum. Quid est, usque ad mare Rubrum? Usque ad fontem Christi cruce et sanguine consecratum. Quod enim rubrum est, rubet. Non uides, quomodo rubeat pars Christi? Interroga oculos fidei: si crucem uides, attende et cruorem: si uides quod pendet, attende quod fudit. Lancea perforatum est latus Christi, et

Remissio peccatorum, magnum donum a Deo ecclesiae conlatum.

Aqua baptismalis signo Christi signata.

manauit pretium nostrum. Ideo signo Christi signatur baptismus, id est, aqua ubi tinguimini, et quasi in mari Rubro transitis. Peccata uestra hostes uestri sunt: sequuntur, sed usque ad mare. Cum uos intraueritis, euadetis, illa delebuntur; quomodo euadentibus per siccum Israhelitis aqua cooperuit Aegyptios. Et quid dixit scriptura? Unus ex eis non remansit. Peccasti multa, peccasti pauca: peccasti magna, peccasti parua; quid ad unus ex eis non reman-
27ᵛ sit? Sed quoniam uiuituri | sumus in isto saeculo, ubi quis non uiuit sine peccato, ideo remissio peccatorum non est in sola ablutione sacri baptismatis, sed etiam in oratione dominica et cottidiana, quam post octo dies accepturi estis. In illa inuenietis quasi cottidianum baptismum uestrum, ut agatis deo gratias, qui donauit hoc munus ecclesiae suae, quod confitemur in symbolo: ut cum dixerimus sanctam ecclesiam, adiungamus remissionem peccatorum.

Oratio dominica quasi cottidianus baptismus.

10. Post haec, carnis resurrectionem. Iste iam finis est: sed finis sine fine erit resurrectio carnis; sed erit postea nulla mors carnis, nullus dolor carnis, nullae angustiae carnis, nulla fames et sitis carnis, nullae afflictiones carnis, nulla senectus et lassitudo carnis. Noli ergo horrere carnis resurrectionem: bona eius uide, mala obliuiscere. Prorsus quicquid querelarum est carnalium modo, tunc ibi non erit: aeterni erimus, aequales angelis dei, unam cum angelis sanctis ciuitatem habebimus. A domino possidebimur, hereditas eius erimus, et ipse hereditas nostra erit; quoniam ipsi dicimus modo: Domine pars hereditatis meae, et de nobis dictum est filio ipsius: Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam. Possidebimus, et possidebimur: tenebimus, et tenebimur. Quid dicam? colimus, et colimur; sed colimus ut deum; colimur ut ager. Ut sciatis quia colimur, dominum audite: Ego sum uitis uera, uos estis sarmenta, pater meus agricola. Si agricola dicitur, agrum colit. Quem agrum? Colit nos. Et agricola terrae huius uisibilis arare potest, fodere potest, plantare potest, rigare, si aquam inuenerit, potest: pluere numquid potest? incre-

Ad carnis resurrectionem quanta bona pertineant.

mentum dare, germen educere, in terram radicem figere, in auras promouere, robor addere ramis, fructibus onerare, foliis honestare, numquid agricola potest? Agricola tamen noster, deus pater, omnia ista potest in nobis. Quare? Quia credimus in deum patrem omnipotentem. Ergo tenete quod et proposuimus uobis, et, quomodo deus dare dignatus est, exposui || mus. fol. 28

11. Ad octo dies reddituri estis, quod hodie accepistis. Parentes uestri, qui uos suscipiunt, doceant uos, ut parati inueniamini, et quomodo uigiletis ad gallicantum, ad orationes quas hic celebratis. Iam incipit uobis et ipsum symbolum hic praeberi, ut diligenter teneatis: nemo trepidet, nemo trepidando non reddat. Securi estote, patres uestri sumus, non habemus ferulas et uirgas grammaticorum. Si quis in uerbo errauerit, in fide non erret.

Redditio symboli et uigiliae ad gallicantum.

1 Tractatus collectionis XV: uide quod de eo atque seqq. in Praefatione iudicium protuli. 3 erit] Rom. 10, 13 qui locus ab Augustino de symbolo uel de oratione disserente alibi quoque laudatur, ut puta Enchirid. c. 8, n. 2; Serm. 56, n. 1; 115, n. 1; 168, n. 5 etc. 4 baptismum: salutem] baptismum salutis G. 8 salus] ἀνακόλουθον pro salutem. 16. 19 tecmine G. 16 sperabunt] Ps. 35, 7 sq. 23 uitae] ibid. 9 sq. 26 caelestia ministeria] cf. De uera relig. c. 40, n. 75; c. 55, n. 110 sq; De ciu. Dei l. 20, c. 21, n. 2 etc. 36 credunt] ita G cum plur. antiq. codd. 40 bona] Rom. 10, 14 sq. 43 post octo a. dies orationem] cf. serm. 56 et 57, n. 1; alius hic usus Hipponensis ecclesiae, alius Romanae atque Neapolitanae: de quo uide sis ‚Rev. Bén.' VIII (1891), p. 535; XI (1894), p. 400 sq. 45 Symbolum est etc.] ab his incipit sermo August. 213, qualis hactenus editus erat: textum a C. P. Caspari constitutum (‚Alte und neue Quellen zur Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel' Christiania, 1879, p. 231—249) siglo $\gamma$ indicaui, littera uero V codicem Vratislauiensem reg. biblioth. I. Q. 344; item siglo $\mu$ textum Maurinorum, littera autem M lectiones cod. Monac. 8826. ergo] unus G. 46 instruat] inseruat G. memoriam oneret M. dicatur] dicitur $\gamma$. 47—53 Symbolum ergo — sed appendatis] G unus seruauit. 67 tuos] Ps. 102, 2. 3. 70 ad facienda caelestia $\mu$. 73 minimis] paruis M. 4 facere] om. $\gamma$. uoluit M. 76 fallere V; fallere nec falli M. tanta — posset] corr. ex quanta non potest, quae ista si posset G. 79 salutem] Rom. 10, 10. creditis M. 80 reddetis $\mu$. 83 Post hoc

quid? G $\mu$; Post haec quid? M; om. $\gamma$. 86—88 ergo patri — filium unicum] om. M. 86 eiusdem] dem 2 m. s. l. suppl. G. 87 eius] eiusdem V. 89 et apud se] hoc apud se M. 90 spiritu sancto et] om. M. 91 Maria uirgine $\gamma$ qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex uirgine Maria $\mu$ et reliq. edd. excepto $\gamma$. qua] quo M. 94 Christus] Iesus M. 97 nobis] Ioh. 1, 14. 101 et unicus] sed unicus G, s. l. corr. ‚uel et'. unicus] semel M. 101—103 plurima hoc loco om. M. 106 sq. qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex uirgine Maria $\mu$ ceterique edd. uno excepto $\gamma$. 107 passus est] cum sequentibus coniungunt $\gamma$ et ceteri excepto G, ac si symbolo contineantur haec uerba, quae immo ne in ipso G interpolata sint uereor. 108 sup poncio G. crucifixus] M et priores edd. add. mortuus. 109 Quid?] scripsi, cum in GVM $\mu$ legatur quia; qui conicit $\gamma$. dominus noster] deus non G, at in membro seq. dominus noster: locus etiam in $\gamma$ ita corruptus est, ut uix intellegi possit. 110 sepultus] est add. $\gamma$. crucifixus est] $\gamma$ ex antiq. edd. addit homo sepultus, quae uerba a tribus codd. absunt. 113 crucifixissent] 1 Cor. 2, 8. 117 dissipasti me] unus G in quo coniunctio et post. m. perperam addita est. 123 caro] carne $\mu$. 124 et] om. V$\gamma$. 125 hic quoque in editis ante $\gamma$ legebatur qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex uirgine Maria. 126—129 qui in quis mutaui, notasque interrogandi adieci, exemplo sumpto ex Serm. August. 214, 7, cum quo scite hunc locum comparat $\gamma$. 132 qui] quia M, haud sane spernenda lectio. 133 aequalis] cum $\mu\gamma$ scripsi, etsi in GVM legitur se aequalem; sed cf. serm. ex iis qui hic primum eduntur XI, n. 3. 136 homo] Phil. 2, 6 sq. 151 Non] $\gamma$, cui hic suffragatur G; num $\mu$. 153 dicit] s. l. corr. ex uidit G. 154 dei] Act. 7, 55. ille] G$\mu$; illum $\gamma$. 157 dicet] $\gamma\mu$; dicit G. 162 sq. quando ueniet — non timebit] om. GM propter homoeoteleuton. 163 ueniat] et add. $\gamma$ unius codicis V auctoritate fretus. 164 desideramus] quam add. M. 166 ipse tunc — aduocatus noster] inuerso ordine qui modo est aduocatus noster ipse tunc erit iudex noster VM$\mu\gamma$. 170 et] 1° loco s. l. suppl. G. dimittit G. 171 mundabit M. 173 ad patrem] G unus cum Augustino passim; apud patrem cet. 174 nostrorum] 1 Ioh. 1, 8 — 2, 2. 176 ab aduocato] de aduocato 2 m. s. l. corr. ex abuocatis, ut uidetur, G. et ageret M. 180 timeamus $\mu\gamma$. 187 factum] 2 m. corr. factus G. 190 credatis] GM$\mu$; accipiatis $\gamma$. quam filium aut minorem esse] om $\gamma$, ut uidetur, culpa typothetae. aut] et $\mu$. 192 nihil ibi distat] item nescio quo casu om. $\gamma$. 196 In] om. $\mu$, licet in tribus codd. et cet. edd. legatur. 201 in ista prouincia] et praem. $\gamma$. 202 sunt et in toto $\mu$. 203 domini] cf. Ps. 112, 3. 204 coniunx]G cum $\mu\gamma$. 206 sponsi $\mu$. 210 carne i. o. corde $\mu$ et priores edd. 217 ecclesae G. 219 exibere G. 221—223 sic uestrae — astutia sua] G uno excepto

om. ceteri ob homoeoteleuton. 226 in Christo] II. Cor. 11, 2. 3. 224 cum Eua concubuit G 2 m. inuerso ordine. 234—236 menbra more suo G. 236 et membra] I. Cor. 12, 27. 238 In] hic quoque om. μ, ut supra l. 196. 239 remissio] aeuo posteriori in genetiuum perperam mut. G. 241 agimus] item 2 m. in coniunctiuum corr. G. 243 salutari] cum praeced. uocabulo rhythmi causa coniunxi, G et ceteri cum sequenti. regenerationis] re postea s. l. suppl. G. renouamini G. 245 insequentibus] Gμ; persequentibus γ. 250 pars] crux γ contra omnes codd. et edd. 254 tinguimini] Gμ; tingimini γ. 258 dixit] GVM; dicit μγ. 259 remansit] Ps. 105, 11. 260 quid ad] V; recent. m. quid adhuc corr. G; quid aliud M; quod est γμ, qui absque causa nonnulla uerba deesse suspicantur. unus] minus μ. 261 uiuituri] G et duae ex prior. edd. quibus usus est Caspari, eademque forma participii recurrit infra in Tractatibus XII, n. 2 et XXVIII, n. 7; uicturi μγ. 264 quam post octo dies accepturi estis] cf. supra l. 43: porro hunc usum nusquam alias ab Augustino expresse testatum, ex dictis tamen eius facile colligi Caspari animaduertit. 267 symbulo G. 271 nullus dolor carnis] unus G seruauit. 279 dominus μ. meae] Ps. 15, 5. 281 tuam] Ps. 2, 8. 285 agricola] ex Ioh. 15, 5 et 15, 1 in unum conflatis, uti alibi quoque apud Augustinum: cf. infra Tract. XXVIII, n. 6. 288 potest] 1° loco ex post corr. G. pluere] M; potest pluere GV; om. μγ. numquid potest] minus congrue cum sqq. coniungunt edd. et mss. 289 in terram] cum germen educere conectunt μγ, G uero cum radicem figere. 290 robor] G; robur μγ. 291 onestare G. 296—303 haec clausula in uno G legitur. 299 symbulum G. 303 non erret] amen hic et in fine singulorum fere tractatuum add. G; quam uocem, cum compositoris homiliarii, non auctoris, esse constet, ubique omittendam existimaui.

# DE PASSIONE DOMINI

Magnum et ineffabile sacramentum dominicae passionis sollemniter hodie celebramus: quod quidem et aliis diebus nec ab altario, cui assistimus, nec ab ore nostro ac fronte discedit; ut quod assidue corporis etiam sensibus ammonetur, semper corde teneatur. Verumtamen anniuersaria ista solemnitas multo plus in recordationem tantae rei agit mentem; ut quod ante multos annos in uno loco Iudaeorum impietate commissum est, eorumque crudelibus oculis uisum, nunc contuitu fidei, tamquam hodie 39

Sacramentum passionis nec ab altario, nec ab ore ac fronte fidelium umquam discedit.

factum, toto spectetur orbe terrarum. Si tunc illi quod crudeliter fecerunt libenter uidebant, quanto libentius quod pie credimus mentibus nostris recolente memoria reuocemus? Si illi cum uoluptate suam cernebant iniquitatem, quanto magis nos salutem nostram recordemur cum gaudio? In illo quippe uno facto praesentia illorum scelera notabantur, sed nostra etiam futura delebantur. Denique ubi illorum commissa facinora detestamur, ibi nostra dimissa laetamur. Illi perpetratores impietatis, nos celebratores solemnitatis: illi congregati sunt saeuientes, nos obedientes: illi perditi, nos inuenti: illi uenditi, nos redempti: illi spectabant insultantes, nos uenerantes adoramus. Ideo Christus crucifixus infidelibus est scandalum et stultitia, nobis autem dei uirtus et dei sapientia: hoc est enim illud infirmum dei, quod fortius est hominibus, et stultum dei, quod sapientius est hominibus. Res consecutae clarius ista docuerunt. Nam quid tunc habebat rabies inimicorum, nisi ut auferrent de terra memoriam eius? Sed ille ab uno populo crucifixus, in tot populorum est cordibus constitutus; et qui tunc ab una gente occidebatur, nunc ab omnibus gentibus adoratur. Et tamen non solum tunc, uerum etiam nunc caeci legunt, et surdi cantant, quod uoce prophetica futurum tanto ante praedictum est: Foderunt manus meas et pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi autem considerauerunt me: diuiserunt sibi uestimenta || mea, et super uestem meam miserunt sortem. Haec sicut in psalmo praenuntiata sunt, ita in euangelio leguntur impleta: sed tunc per manus Iudaeorum fiebat, quod eorum aures inaniter feriebat: et passio domini prophetata quanto minus ab eis intellegebatur, tanto efficacius implebatur; nunc uero et legunt praedictum, et agnoscunt impletum. Et adhuc eligunt Christum negare, quia non possunt ulterius occidere.

Psalmus XXI in Passionis sollemnitate recitatus.

fol. 40

2. Peiores autem Iudaeis heretici: nam illi Christum, quem non aspiciunt, negant; isti, quam uident, eius ecclesiam oppugnant. Nec solum istis Iudaeis qui modo Christum negant, uerum etiam illis qui eum occiderunt miserabilius

Contra haereticos rebaptizantes.

heretici insaniunt: nam illi non deleuerunt titulum pendentis in ligno, isti exsufflant baptismum sedentis in caelo. Ex hoc itaque praesenti psalmo utrisque aduersariis respondemus: et negatoribus capitis, et negatoribus corporis. Caput enim Christus, corpus ecclesia. Contra Iudaeos legimus: Foderunt manus meas et pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, et cetera quae sequuntur. Contra hereticos legimus: Commemorabuntur et conuertentur ad dominum uniuersi fines terrae, et adorabunt in conspectu eius uniuersae patriae gentium; quoniam domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. Sed teneamus quod significabat illa uestis desuper texta, quam nec illi diuiserunt qui Christum occiderunt, sed ad eam sorte peruenerunt qui peruenire potuerunt. Possunt ergo per multos haereticos diuidi sacramenta Christi: nullus fidelium scindit uel diuidit caritatem Christi; sed qui pertinent ad partem sortis sanctorum in lumine, ipsi eam tamquam propriam tenent, quia spiritaliter diligunt unitatem. Quapropter, carissimi, celebremus istum diem anniuersaria deuotione: gloriemur autem in cruce Christi, non semel in anno, sed continua sanctitate.

1 Vide Praefat. ad n. XXI. 3 caelebramus G. 13 credimus] *m* ex *b* s. l. corr. G. 14 suam] sua G. 15 nos] s. l. suppl. G; et ista quidem cum exordio Enarrat. 2 in Ps. 21 conferas uelim. 23 stultitia] scripsi; stultis G. 25 hominibus] cf. I Cor. 1, 23—25: porro hac translatione ‚infirmum dei‘ ‚stultum dei‘ alibi quoque Augustinus utitur, u. gr. De ciu. dei l. 10, c. 28; In Ioh. tract. 8, n. 9. 36 sortem] Ps. 21, 17—19. 39 prophetata] s. l. corr. ex profeta. 41 agnuscunt corr. 43 Peiores a. Iudaeis heretici] cf. Enarr. in Ps. 65, n. 2: ‚Non solum dolete Iudaeos . . . sed plus haereticos plangite. Si enim dolendi sunt qui collecti non sunt, quanto amplius qui collecti diuisi sunt?‘ 48 exsufflant] ex s. l. suppl. 52 meos] item s. l. suppl. 57 gentium] Ps. 21, 28—29. 58 desuper texta] Ioh. 19, 23. 61 diuidi sacramenta] Idem saepe Augustinus, ut puta Enarr. 2 in Ps. 21, n. 19: ‚Vestimenta ipsius, sacramenta ipsius, potuerunt diuidi per homines: sed erat ibi uestimentum quod nemo diuisit . . . Sacramenta sibi haeretici diuidere potuerunt, caritatem non diuiserunt.‘ 63 lumine] cf. Col. 1, 12.

# DE PASSIONE DOMINI

Passio domini et saluatoris nostri Iesu Christi fiducia gloriae est, et doctrina patientiae. Quid enim
40v non sibi de dei gratia promittant corda fide | lium, pro quibus dei filius unicus et patri coaeternus parum fuit ut homo ex homine nasceretur, nisi etiam manibus hominum, quos creauit, moreretur ipse ab eis? Magnum est quod futurum a domino promittitur nobis: sed multo est maius quod recolimus iam factum esse pro nobis. Ubi erant, aut quid erant, quando pro impiis mortuus est Christus? Quis dubitet eum donaturum sanctis uitam suam, qui eisdem donauit adhuc mortem suam? Quid cunctatur humana fragilitas credere futurum esse, ut uiuant homines aliquando cum deo? Multo incredibilius iam factum est, quod mortuus est propter homines deus. Quis enim est Christus, nisi illud quod in principio erat Verbum et Verbum erat apud deum, et deus erat Verbum? Hoc Verbum dei caro factum est, et habitauit in nobis. Non enim habebat in semetipso unde moreretur pro nobis, nisi mortalem carnem sumsisset ex nobis. Sic inmortalis mori potuit, sic uitam donare mortalibus uoluit: participes sui postea facturus, quorum esset prior particeps factus. Nam nec unde uiueremus nos habebamus de nostro, nec unde moreretur ille de suo. Mirum proinde nobiscum egit mutua participatione conmercium: nostrum erat, unde mortuus est; illius erit, unde uiuamus. Verumtamen carnem, quam de nobis unde moreretur assumpsit, etiam ipsam, quoniam creator est, dedit; uitam uero, qua in illo et cum illo uicturi sumus, non a nobis accepit. Ac per hoc, quod attinet ad naturam nostram, qua homines sumus, non de suo mortuus est, sed de nostro; quoniam illius natura, qua deus est, mori penitus non potest. Quod autem attinet ad ipsius creaturam, quam sicut deus fecit, etiam de suo mortuus est: quoniam et carnem, in qua mortuus est, ipse fecit.

Mirum Dei nobiscum in Christi passione commercium.

2. Non solum ergo erubescere non debemus de morte domini dei nostri, uerum etiam maxime in ea fidere maxi-

meque gloriari: suscipiendo quippe a nobis mortem, quam inuenit in nobis, fidelissime spopondit nobis in se uitam daturum, quam habere non possumus ex nobis. Nam qui tantum nos dilexit, ut quod peccato meruimus || sine peccato pro peccatoribus pateretur, quomodo nobis non dabit quod iustitia, qui iustificat? quomodo non reddet, qui pollicetur in ueritate, praemia sanctorum, qui sine iniquitate poenam pertulit iniquorum? Confiteamur itaque, fratres, intrepidi, uel etiam profiteamur, Christum pro nobis esse crucifixum: non pauentes, sed gaudentes: non uerecundantes, sed gloriantes dicamus. Vidit hunc apostolus Paulus, et commendauit titulum gloriae. Qui cum haberet multa magna atque diuina, quae de Christo commemoraret, non dixit gloriari se in mirabilibus Christi, quia, cum esset apud patrem deus, mundum creauit, cum esset etiam quod nos homo, mundo imperauit; sed Mihi autem, inquid, absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Videbat pro quibus, quis, ubi pependerat: et de tanta humilitate dei et diuina celsitudine apostolus praesumebat.

fol. 41

De morte Domini quemadmodum Paulus gloriari debemus.

3. Isti autem, qui nobis insultant, quod dominum crucifixum colamus, quanto sibi sapere uidentur, tanto insanabilius et desperatius desipiunt, nec omnino quid credamus uel dicamus intellegunt; neque enim dicimus hoc in Christo esse mortuum, quod deus erat, sed quod homo erat. Nam si, homo ipse quilibet cum moritur, illud quod maxime homo est, id est, quo distat a pecore, quod habet intellectum, quod humanum et diuinum, temporale et aeternum, falsum uerumque discernit, id est anima rationalis, cum suo corpore mortem non patitur, sed illo moriente uiua discedit, et tamen dicitur, Mortuus est homo; cur non sic dicatur etiam, Mortuus est deus, ut non intellegatur mori potuisse id quod est deus, sed quod mortale pro mortalibus susceperat deus? Nam sicut, homo cum moritur, non moritur anima eius in carne, sic et Christus cum mortuus est, non est mortua diuinitas eius in homine. Sed deus, inquiunt, homini misceri non potuit, et cum illo fieri Christus unus. Secundum istam

Mortuum esse Deum, qua ratione dicatur.

sententiam carnalem et uanam humanasque opiniones, multo difficilius crederemus spiritum carni quam deum homini posse misceri; et tamen nullus homo esset homo, nisi spiritus hominis humano corpori misceretur. Quando igitur spiritus et corpus quam spiritus et spiritus difficilior mirabiliorque

Difficilior spiritus et carnis, quam Dei et hominis mixtura.

41v mixtu | ra est: si ergo spiritus hominis, cum corpus non sit, et corpus hominis, cum spiritus non sit, tamen, ut homo esset, utrumque commixtum est; quanto magis, ut ex utroque unus Christus esset, potuit deus, qui spiritus est, non corpori praeter spiritum, sed homini habenti spiritum spiritali participatione misceri?

Crux Christi cur in fronte collocata.

4. Gloriemur ergo et nos in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem nobis mundus, et nos mundo crucifigamur; de qua cruce ut non erubesceremus, eam in ipsa fronte, hoc est, in pudoris domicilio collocauimus. Iam uero quae in ista cruce, uel quam salubris sit doctrina patientiae, si explicare conemur, quae uerba rebus, quae uerbis tempora suppetunt? Quis enim homo, qui ueracissime atque intentissime credit in Christum, superbire audeat, docente humilitatem deo, non tantum uerbo, sed etiam exemplo suo? Quam uero sit utilis ista doctrina, breuiter illa scripturae sanctae

Quanta hominis superbia, non consentire humili Deo.

sententia commonet: A n t e r u i n a m e x a l t a t u r c o r , e t a n t e g l o r i a m h u m i l i a t u r; cui et illud consonat: D e u s s u p e r b i s r e s i s t i t , h u m i l i b u s a u t e m d a t g r a t i a m; et illud: Q u i s e e x a l t a t , h u m i l i a b i t u r ; e t q u i s e h u m i l i a t , e x a l t a b i t u r. Proinde cum apostolus nos admoneat, ne simus alta sapientes, sed humilibus consentientes, cogitet, si potest, in quantum superbiae praecipitium feratur homo, si non consenserit humili deo; et quam sit perniciosum inpatienter ferre hominem quod uoluerit deus iustus, si patienter pertulit deus quod uoluit inimicus iniustus.

1 Vide Praefat. ad. n. XXII. 2 f i d u c i a e G. 10 m o r t u u s e s t] Rom. 5,6. 16 a p u t G. 17 V e r b u m] Ioh. 1,1. d e i] legendumne d e u s? 18 i n n o b i s] Ioh. 1, 14. 25 n o s t r u m] scripsi; n o s t r o r u m G. i l l i u s e r i t , u n d e u i u a m u s] cf. Enarr. in Ps. 146, n. 11: ‚Sicut autem ille mortalis, non de sua substantia, sed de nostra, sic nos immortales, non de nostra substantia,

sed de ipsius.‘ 27 assumpsit] p suppl. s. l. 41 quod iustitia]. subaudi ‚meruimus‘; porro iustitia emendaui, cum in G iustis legatur, quemadmodum supra Tract. II, l. 23 ‚stultis‘ pro ‚stultitia‘. 42 reddit G. 47 commendabit. 53 Christi] Gal. 6, 14. 56 qui nobis insultant] cf. Serm. 279, n. 8: ‚Insultetur nobis, qui credimus in crucifixum, in occisum. 66 cur non sic dicatur etiam, Mortuus est deus] Simili modo Enarr. in Ps. 40, n. 2: ‚Ergo non moritur Verbum, cum non moriatur anima facta per Verbum: sed quo modo recte dicimus, Mortuus est homo, etsi anima ipsius non moriatur, sic recte dicimus, Mortuus est Christus, etsi diuinitas eius non moriatur.‘ 81 spiritus est] cf. Ioh. 4, 24. 84—87 Gloriemur ergo — collocauimus] Haec in collectaneis Bedae et Flori ad Gal. 6 reperiuntur inscripta ‚Item ex sermone de passione‘ (Migne 39, 1724). 95 humiliatur] Prou. 18, 12. 96 gratiam] Iac. 4, 6; I Petr. 5, 5. 96—103 Qui se exaltat . . . iniustus] Haec quoque ap. Bedam et Florum in Rom. 12 ‚Ex sermone de passione domini‘ deprompta (Migne 39, 1723). 97 exaltabitur] Luc. 14, 11; 18, 14. 99 consentientes] Rom. 12, 16.

# DE NOCTE SANCTA I.

Dominus noster Iesus Christus in plenitudine temporis pro aeterna nostra salute passurus monuit discipulos dicens: Vigilate et orate, ne intretis in temptationem. Quod licet assidue debeat curare christianus, ne singulas noctes somnus absumat, exemplo apostoli dicentis In uigiliis saepius, hac tamen nocte ut uniuersus Christo uigilet mundus, sacratior et sanctior uigilia constituta est; ut id quod semel fecit diuina miseratio, anniuersaria solemnitate celebret humana || deuotio, fol. 42
ne delere permittat obliuio. Semel enim Christus mortuus est, iustus pro iniustis. Resurgens autem a mortuis iam non moritur, mors ei ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem uiuit, uiuit deo. Sic et nos existimemus nos mortuos esse peccato, uiuere autem deo in Christo Iesu. Hoc tam magnum sacramentum ut semper memoria retineret, dies anni quo factum est non utique debuit similis ceteris noctibus praeterire; sed celebritate solemnissima in

Vigilia paschalis ceteris sacratior.

mentes religiosorum redit. Ad hoc autem Iudaei Christum occiderunt, ut perderent de terra memoriam eius. Hoc eis excepta poena aeterna interim redditur, ut illius clarificata memoria nec ipsorum scelus mundus obliuiscatur; quisquis enim noctis huius lucem toto terrarum orbe miratur, simul Iudaeorum tenebras detestatur. Sed facinus eorum nos abominemur: tantum autem bonum, quod nobis dominus de malo eorum praestitit, fideliter teneamus, et solemniter celebremus.

Aeternae uigiliae, in quam resurrecturi sumus, imago est.

2. Quia hac nocte, carissimi [fratres], qua sepultum recolimus dominum, uigilias celebramus, eo tempore uigilemus, quo pro nobis ille dormiuit. Ille quippe longe ante per prophetam suam nuntians passionem: Ego dormiui, inquit, et exsurrexi, quoniam dominus suscepit me. Patrem dominum appellauit. Nocte igitur qua dormiuit nos uigilamus, ut morte qua passus est nos uiuamus; illius dormitione temporali uigilias celebramus, ut illo pro nobis uigilante in aeternam uigiliam resurrecti infatigabiles maneamus. Hac autem nocte etiam resurrexit, cui resurrectioni nostra uigilat exspectatio. Traditus est propter peccata nostra, et dormiuit: resurrexit propter iustificationem nostram. Unde nos hac ipsa una nocte, in qua dormiuit, nostram uigiliam frequentamus, ut in eius uigilia securi eodem somno quandoque careamus; et euigilationis eius horam uigilando expectamus, ne in ipsa iustificatione nostra, propter quam resurrexit, subrepente neglegentia, non corpore sed corde dormiamus. Vigilemus ergo, carissimi, et oremus, ne intremus in temptationem.

1 Vide Praefat. ad n. XXIII. 5 temptationem] Matth. 26, 41. 7 saepius] II Cor. 11, 27. 11 permittat obliuio] cf. Serm. 220: ‚Hoc semel factum esse optime nostis . . . Quod enim semel factum in rebus ueritas indicat . . . sollemnitas autem non ea faciendo, sed celebrando, nec praeterita praeterire permittit.‘ 12 iniustis] I Petr. 3, 18. 17 Iesu] Rom. 6, 9—11. 25 abhominemur G. 29 fratres] a librario additum esse suspicor. 33 suscepit me] Ps. 3, 6 ubi licet Augustinus ‚suscipiet‘ legere consueuerit, tamen in lib. 2 De Genesi contra Manichaeos,

c. 24, n. 37 pariter habetur ‚quoniam dominus suscepit me'; ceterum cf. ea quae dicuntur in apparatu critico ad Tract. VI. 34 apellauit G. 37 resurrecti] in resurrecturi postmodum mutatum; priorem autem lectionem retinere uisum est: cf. H. Rönsch ‚Itala und Vulgata' p. 296. 41 nostram] Rom. 4, 25. in quo G. 43 somno] ex somnum corr. 44 expectamus] scripsi, quod tractu pari cum uerbo superiori ‚frequentamus' sententia procedat; expectemus G.

# DE NOCTE SANCTA II.

Quoniam dominus noster Iesus Christus diem, quem 42v fecerat moriendo luctuosum, fecit resurgendo gloriosum, utrumque tempus in sollemnem memoriam reuocantes, eius mortem recordando uigilemus, et eius resurrectionem suscipiendo gaudeamus. Hoc est anniuersarium festum nostrum, et pascha nostrum; non sicut populo ueteri per occisionem pecoris figuratum, sed sicut populo nouo per uictimam saluatoris impletum: quia pascha nostrum inmolatus est Christus, et uetera transierunt, et ecce facta sunt noua. Neque enim lugemus nisi nostris delictis grauati, aut uero gaudemus nisi eius gratia iustificati: quoniam traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram. Lugendo illud, hoc gaudendo laetamur; et quod propter nos adque pro nobis triste commissum est, laetumque praemissum est, non ingrata obliuione praeterimus, sed grata memoria celebramus. Vigilemus ergo, carissimi, quia usque ad istam noctem Christi sepultura producta est; ut in hac ipsa nocte fieret carnis resurrectio, quae tunc irrisa est in ligno, nunc adoratur in caelo et terra. Nox quippe ista ad consequentem diem, quem dominicum habemus, intellegitur pertinere. Et utique nocte resurgere debuit, quia sua resurrectione et tenebras nostras inluminauit; neque enim ei frustra tanto ante cantatum est: Tu inluminabis lucernam meam domine: deus meus, inluminabis tenebras meas. Proinde tam grande mysterium etiam deuotio nostra commendat: ut quemadmodum eius resurrectione fides nostra firmata iam uigi-

Christus nocte resurgere debuit.

lat, sic et nostra uigilia etiam nox ista inluminata praefulgeat; ut digne possimus cum orbe terrarum ecclesia diffusa cogitare hodie, ne inueniamur in nocte. Tot tantisque populis, quos Christi nomine tam insignis ubique sollemnitas congregauit, sol abscessit, dies non recessit, cum lucente caelo lucens terra successit.

2. Causas tamen huius tantae uigiliae nostrae si quis inquirat, et sollerter inuenire et fideliter respondere potest. Ille quippe, qui nobis gloriam sui nominis donauit, ipse in- fol. 43 luminauit hanc noctem; et cui dicimus, Inlu||minabis tenebras meas, praebet lucem cordibus nostris: ut quemadmodum gaudentibus oculis istum splendorem luminum cernimus, ita huius tam clarae noctis rationem inluminata mente uideamus. Quid est ergo, quod festo anniuersario uigilant hodie Christiani? Nunc enim maxime uigilamus, nec alia sollemnitas talis intellegi solet; in isto desiderio dum quaerimus et dicimus: Quando uigilamus? ad tot dies uigilamus; tamquam in huius conparatione aliae non sint reputandae uigiliae. Apostolus quidem, sicut ieiuniorum, ita etiam uigiliarum assiduitatem commendauit ecclesiae, de se ipso commemorans et dicens: In ieiuniis saepius, in uigilius saepius; sed huius noctis uigilia tanta est, ut sola sibi etiam ceterarum commune nomen uelut proprium uendicaret. Prius itaque de generali uigilia, postea de speciali et hodierna, quae dominus dederit, pauca dicimus.

Splendor luminum in uigilia paschali.

Vigiliae nomen apud Christianos uelut huius noctis proprium.

3. In illa uita, pro cuius adipiscenda requie laboramus, quam nobis post huius corporis mortem, uel etiam post huius saeculi finem, in resurrectione ueritas pollicetur, numquam dormituri sumus, sicut numquam utique morituri. Quid est enim aliud somnus, quam cottidiana mors, quae nec penitus hinc aufert, nec diutius detinet hominem? Et quid est aliud mors, quam diuturnus et altissimus somnus, a quo deus excitat hominem? Ubi ergo nulla mors uenit, nec imago eius somnus interuenit. Denique somnus nullus nisi mortalium. Non est ista requies angelorum: illi quia semper uiuunt, numquam salutem somno recipiunt. Sicut ipsa

*Cur in uigiliis saepius sit mens exercenda Christiano.*

uita, ita est illic sine fine uigilia; nec aliud ibi est uiuere, quam uigilare: nec aliud uigilare, quam uiuere. Nos autem in hoc corpore, quod corrumpitur et aggrauat animam, quoniam non uiuimus nisi uires dormiendo reparemus, similitudine mortis interrumpimus uitam, ut uiuere saltim per interualla possimus. Ac per hoc quisquis caste et innocenter assidue utitur uigiliis, angelorum uitam procul dubio meditatur — quantum enim carnis huius infirmitas sit oneri terreno, caelestia desideria conprimuntur — exer | cens contra 43v
molem mortiferam diuturniore uigilia, ut ei meritum conparet in uita perpetua. Neque enim sibi ipse consonat, qui desiderat semper uiuere, et non amat prolixius uigilare; mortem uult omnino non esse, et eius imaginem non uult minuere. Haec causa, ista ratio est, cur in uigiliis saepius sit mens exercenda Christiano.

*De speciali noctis huius uigilia.*

4. Nunc iam, fratres, alia pauca, dum commemoramus, aduertite de speciali noctis huius uigilia. Dictum est enim, quare saepius somnum detrahere et uigilias addere debeamus: nunc autem dicendum est, cur tanta celebritate hodierna potissimum nocte uigilemus. Quod die tertio resurrex<er>it a mortuis dominus Christus, nullus ambigit Christianus. Hac autem nocte <hoc factum> esse sanctum euangelium contestatur. Totum enim diem a praecedente nocte conputari non dubium est: non secundum dierum ordinem, qui commemorantur in Genesi — quamquam et illic tenebrae, praecesserint; nam tenebrae erant super abyssum, cum dixit deus, Fiat lux, et facta est lux — sed quia illae tenebrae <non>dum erant nox, nondum erant dies. Diuisit quippe deus inter lucem et tenebras: et prius lucem uocauit diem, deinde tenebras noctem, et a facta luce usque ad alterum mane commemoratus est dies unus. Manifestum est

*Cum dies in Genesi a luce coeperint, quare nunc dies a noctibus conputamus.*

illos dies a luce coepisse, et transacta nocte usque ad mane singulos terminatos. Sed postea quam creatus homo a luce iustitiae in peccati tenebras declinauit, a quibus eum Christi gratia liberauit, factum est ut nunc dies a noctibus conputemus; quia non a luce ad tenebras, sed a tenebris ad lu-

cem uenire conamur, et domino adiuuante speramus. Sic et apostolus dicit: Nox praecessit, dies autem adpropinquauit; abiciamus itaque opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis. Dies igitur dominicae passionis, quo crucifixus est, iam transactam noctem propriam sequebatur; ideoque clausus et terminatus est usque ad parasceue, quam Iudaei etiam cenam puram uocant, ab eius noctis exordio incipiente sabbati obseruatione. Deinde sabbati dies, a sua nocte incipiens, finitus est uespere incipientis noctis, quae pertinet ad initium dominici diei: quoniam eum dominus suae resur||rectionis gloria consecrauit. Illius itaque noctis ad initium diei dominici pertinentis nunc istam solemnitatis memoriam celebramus. Illam noctem agimus uigilando, qua dominus resurrexit, et illam uitam, de qua paulo ante dicebamus, ubi nec mors ulla nec somnus est, in sua carne nobis inchoauit; quam sic excitauit a mortuis, ut iam non moriatur, nec mors ei ultra dominetur. Nam quoniam uenientes ad sepulcrum eius, a quibus diligentibus quaerebatur diluculo, corpus non inuenerunt, responsumque acceperunt ab angelis, quod iam resurrexerat, manifestum est quod ea nocte resurrexerit, cuius extremitas illud diluculum fuit. Proinde cui resurgenti paulo diutius uigilando concinimus, praestabit ut cum illo sine fine uiuendo regnemus. Sed et si forte his horis, quibus nos ducimus istam uigiliam, illius adhuc corpus in sepulchro erat, nondumque surrexerat, nec sic uigilando sumus incongrui: quia ille dormiuit ut uigilaremus, qui est mortuus ut uiueremus.

Parasceuen Iudaei cenam puram uocant.

fol. 44

1. Vide Praefat. ad n. XXIV. 8 peccoris G. 10 Christus] I Cor. 5, 7. 11 noua] II Cor. 5, 17. nostri dilectis G. 13 dilecta. 14 nostram] Rom. 4, 25. 15 adque] post. corr. atque 26 meas] Ps. 17, 29. 45 dicimus: Quando uigilamus? ad tot dies uigilamus] Eodem dicendi modo utitur Augustinus in Serm. 252, 12 ubi de Quadragesima loquens: ‚Ideo quadraginta illos dies, ait, antequam uigilemus' i. e. ante sollemnem uigiliam Paschae. 50 saepius] II Cor. 11, 27. 53 dicimus] pro dicamus? 67 aggrabat 1 m. animam] Sap. 9, 15. 72 terreno] erat primum, ni fallor, terreni. 80 Nunc iam] conieci; nuncia post. in nunciamus

mutat. 83 dicendum est] etc. Abhinc usque ad finem tractatus alterum testem habemus Eugippium, cuius ‚Excerptum' cxx. (al. 135) Maurinis sermonem 221 suppeditauit: siglum ε Eugippii Vindobonensem, μ Augustini Parisiensem textum designat. 84 resurrexerit] εμ; resurrexit G. 86. hoc factum] om. G. sanctum] s. l. suppl. G. 89 commemorantur] Gε; commemoratur μ. 90 praecesserint] G; praecesserunt εμ. abyssum] Gen. 1, 2. 91 lux] ibid. 3. 92 nondum erant nox] εμ; dum erant nox G. nondum erant dies] G quae lectio retineri posse uisa est; nondum enim praecesserat dies εμ. 93 tenebras] Gen. 1, 4. 94 a facta] G; praepositionem om. εμ. 95 dies unus] Gen. 1, 5. 96 nocte] G haud dubium quin recte; luce εμ. 98 in peccati] G; ad peccati εμ. 99 liberauit] G; liberat εμ. 101 speramus] praem. fieri εμ. sic et] Gε; sicut et μ. 104 lucis] Rom. 13, 12. 106 parasceuae G; parasceuen εμ. 107 caenam G. 108 incipiente s. obseruatione] Gε; incipientes s. obseruationem μ. 114 qua] 1° loco εμ, corr. ex quia G. 116 in sua carne] praem. quam εμ. incoauit G. 117 quoniam] Gε; quando μ. 119 diluculo] cum praecedentibus G, cum sqq. εμ conectunt. 120 resurrexerit] Gε; resurrexit μ. 122 proinde] G; deinde εμ. 124 si] εμ; uox in G hoc loco deleta est, forsitan esse 126 surrexerat] G; resurrexerat εμ. 127 uigilaremus] G; uigilemus εμ.

# DE NOCTE SANCTA III.

Dominus noster Iesus Christus passioni proximus, ubi pro debitis nostris quod non debe<b>at exsoluit, ut chirografum quo rei tenebamur eius sanguine deleretur, ait discipulis suis: Vigilate et orate, ne intretis in temptationem. Ex hac eius commendatione instituta est ista sollemnitas: ut eius diei anniuersario reditu uigiletur, quo eius expectata est resurrectio. Exaudiat nos uigilantes in sollemnitate sua, qui dormiuit pro salute nostra. In eius quippe rei prophetia et ex persona ipsius dictum fuerat: Ego dormiui, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam dominus suscipiet me. Tamquam diceret: Ne sibi Iudaei praeualuisse uideantur: ego dormiui, uoluntatis fuit, non necessitatis. Ipse prorsus, ipse dormiuit, tamquam dignatus, non tamquam superatus; quippe qui potestatem habebat ponendi animam suam, et

Somnus Christi uoluntatis fuit, non necessitatis.

Nec tamen ideo Iudaei sine scelere fuerunt.

Christus ut leo dormiuit et uicit.

iterum sumendi eam. Non tamen ideo Iudaei sine scelere fuerunt, quia ipse potestate dormiuit; ut enim eorum facinus demonstraret, dixit | in alio psalmo: Dormiui turbatus. Nam hoc ad ipsos retulit, qui eum a se turbatum esse putauerunt, cui uelut uicto insultauerunt, et tamen cum eius mortem nefariis uocibus expetissent, alienos se facere ab eius interfectione conati sunt; ut non ipsorum sed Pilati factum uideretur, qui eum crucifigendum militibus dedit. Ideo continuo psalmus ipse: Filii hominum, inquid, dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus. Tamquam diceret: Et si non propriis manibus, ore tamen proprio peremistis, cuius mortem petistis. Sed quid in alio psalmo dicit? Numquid qui dormit non adiciet ut resurgat? Ecce surrexit qui dormierat; uigilauit, et factus est sicut passer singularis super tectum, id est, super caelum, ubi interpellat pro nobis, ubi iam non moritur, nec mors ei ultra dominabitur: quia non dormiet neque dormitabit, qui custodit nos. Ecce illi, qui se aliquid nocuisse putauerunt, etiam regnum ipsum, ubi eum sibi regnare noluerunt, extirpati exinde perierunt; ut et uisibiliter impleretur, quod in eodem psalmo dormiturus ait: Suscita me, et reddam illis. Humiliantes igitur animas nostras uigilias celebremus, ut eius uigili corde speremus et exspectemus aduentum, cuius uox omnes dormientes etiam de tumulis excitabit: qui bene fecerunt, ad resurrectionem uitae; qui male fecerunt, ad resurrectionem iudicii. Ipse namque est, de cuius somno in cruce exaltati Iacob tanto ante praedixit: Ascendisti recumbens, dormisti sicut leo. Ipse uicit leo de tribu Iuda: quia et Iacob illud dixit, cum benediceret Iudam. Quoniam ergo dormiuit leo, deputatus est inter mortuos; sed quia uicit leo, ueniet iudicare uiuos et mortuos.

(44v at "nus demonstraret, dixit |")

1 Vide Praefat. ad n. XXV. 3 debebat] scripsi; debeat G. 6 temptationem] Matth. 26, 41. 12 suscipiet me] Ps. 3, 6; suscepiet G, quo scribendi modo facile explicatur lectio minus Augustiniana suscepit supra 18, 33. 15 dormibit corr. 17 eam] Ioh. 10, 18. 19 turbatus]

Ps. 56, 5; cf. Augustini Enarrat. Psalm. ad h. l. 26 lingua] linguae G, ubi superflua e ex uoce seq. orta esse uidetur. acutus] Ps. 56, 5. 29 resurgat?] Ps. 40, 9. 31 super tectum] Ps. 101, 8. 32 interpellat pro nobis] Rom. 8, 34; cf. Enarrat. huius psal. serm. 1, n. 8: ‚singularis in tecto, id est in caelo... ibi interpellat pro nobis'. 33 dominabitur] Rom. 6, 9. 34 qui custodit nos] cf. Ps. 120, 4. 38 illis] Ps. 40, 11. 42 iudicii] Ioh. 5, 29. 43 exaltati] scripsi; exaltato G. 44 sicut leo] Gen. 49, 9. 45 Iuda] Apoc. 5, 5.

# DE DOMINICA SANCTAE PASCHAE

Vos in nouam uitam regenerati, propter quod infantes uocamini; uos praecipue, qui hoc modo uidetis, quid sibi haec uelint, sicut uobis promiseramus, audite. Audite et fideles, qui uidere consuestis: bona est commemoratio, ne subripiat obliuio. Quod uidetis in mensa domini, quantum pertinet ad ipsarum rerum speciem, et in uestris mensis uidere consuestis: ipse est uisus, sed non ipsa uirtus. Nam et uos idem ipsi estis homines, qui eratis: neque enim ad nos nouas facies attulistis. Et tamen noui estis: ueteres corporis specie, noui gratia sanctitatis, sicut et hoc nouum est. Adhuc quidem, quod modo uidetis, panis est et uinum: accedit sanctificatio, et panis ille erit corpus Christi, et uinum illud erit sanguis Christi. Hoc facit nomen Christi, hoc facit gratia Christi, ut hoc ipsum uidea || tur quod uidebatur, et tamen non hoc ualeat quod ualebat. Antea enim si manducaretur, inpleret uentrem; modo cum manducatur, aedificat mentem. Sicut autem quando baptizati estis, immo autem antequam baptizaremini, die sabbati locuti sumus uobis de sacramento fontis, in quo tinguendi eratis, et diximus uobis, quod credo quia obliti non estis, hoc ualuisse uel ualere baptismum, quod est sepultura cum Christo, apostolo dicente, Consepulti enim sumus Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum ille surrexit a mortuis, sic et nos in nouitate uitae ambulemus; ita et modo non ex corde nostro, neque ex praesumtione nostra, neque ex humanis argumentationi-

Quod uident in mensa Domini, hoc et in suis mensis fideles uidere consuerunt.

fol. 50

Die sabbati locutus erat Augustinus de sacramento fontis.

bus, sed ex auctoritate apostoli, opus est uobis commendare et insinuare, quid sit quod accepistis uel accepturi estis. Ecce breuiter audite apostolum, immo Christum per apostolum, de sacramento mensae dominicae quod ait: *Unus panis, unum corpus, multi sumus.* Ecce totum est, cito dixi: sed appendite uerba, nolite numerare. Si uerba numeratis, breue est; si appenditis; grande est. Unus panis, dixit. Quotquot ibi panes positi fuerint, unus panis: quotquot

Unus panis hodie in altaribus per totum orbem terrarum.

panes fuerint in altaribus Christi hodie per totum orbem terrarum, unus panis est. Sed quid est, unus panis? Exposuit breuissime: *Unum corpus multi sumus.* Hoc panis corpus Christi, de quo dicit apostolus, alloquens ecclesiam: *Vos autem estis corpus Christi et membra.* Quod accipitis, uos estis, gratia qua redempti estis; subscribitis, quan-

Amen respondent fideles, quando accipiunt sacramentum.

do *Amen* respondetis. Hoc quod uidetis, sacramentum est *unitatis.*

2. Iam quia breuiter nobis insinuauit apostolus quid hoc esset, considerate illud diligentius et uidete, quomodo fiat. Quomodo fit panis? Trituratur, molitur, a consparsura, in coctura: in consparsura mundatur, coctura firmatur. Ubi tritura uestra? Hoc facti estis: ipsa fuit in ieiuniis, in obseruationibus, in uigiliis, in exorcismis. Molebamini, quando exorcizabamini. Consparsura non fit sine aqua: baptizati

50v estis. | Coctura molesta est, sed utilis. Quae est enim coctura?

Quomodo panis Christi facti sunt neophyti.

Ignis temtationum, sine quibus haec uita non est. Sed quomodo est utilis? *Vas figuli probat fornax, et homines iustos temptatio tribulationis.* Quomodo autem de singulis granis in unum congregatis et quodam modo sibimet consparsione commixtis fit unus panis, sic fit unum corpus Christi concordia caritatis. Quod autem habet corpus Christi in granis, hoc sanguis in acinis: nam et uinum de pressura exit, et quod in multis singillatim erat, in unum confluit, et fit uinum. Ergo et in pane et in calice mysterium est unitatis.

3. Quod autem audistis ad mensam domini, *Dominus*

Dominus uobiscum.

*uobiscum*, hoc et quando de abside salutamus dicere solemus, et quotienscumque oramus hoc dicimus: quia hoc nobis

expedit, ut semper sit dominus nobiscum, quia sine illo nihil sumus. Quod autem sonuit in auribus uestris, uidete quid dicatis ad altare dei. Interrogamus enim quodammodo et admonemus, et dicimus: Sursum cor. Nolite iusum: cor putrescit in terra, leuate illud in caelum. Sed quo sursum cor? [Sursum cor.] quid respondetis? quo sursum cor? Habemus ad dominum. Ipsum enim sursum cor, aliquando bonum est, aliquando [Habemus ad dominum.] malum est. Quomodo malum est? In his malum, de quibus dictum est: Deiecisti eos, dum extollerentur. Sursum cor, si non sit ad dominum, non est iustitia, sed superbia; ideo cum dixerimus, Sursum cor, quia adhuc sursum cor potest esse superbiae, uos respondetis, Habemus ad dominum. Ergo dignatio est, non elatio: et quia est ista dignatio, ut sursum cor habeamus ad dominum, nos illud fecimus? nos potuimus de uiribus nostris? terram, quod eramus, in caelum leuauimus? Absit: ipse fecit, ipse dignatus est, ipse manum misit, ipse gratiam suam porrexit, ipse quod iusum erat sursum fecit. Ideo cum dixerimus, Sursum cor, et responderitis, Habemus ad dominum, ne uobis tribuatis quia sursum cor habetis, adiunxi: Gratias agamus domino deo nostro. [Gratias agamus domino deo nostro.] Ista sunt mysteria breuia, sed magna: breuia dicimus, sed magna affectu. Cito enim haec uobis dicitis ‖ et sine codice, [fol. 51] et sine lectione, sine longa disputatione. Commemorate uos quod estis, et in quo perseuerare debetis, ut ad promissa dei peruenire possitis.

1 Vide Praefat. ad n. XXX. 6 ne] suppl. s. l. 12 quod modo] conieci; quomodo G. 24 quem ammodum, ut adsolet, G. 26 ambulemus] Rom. 6, 4. 32 sumus] I Cor. 10, 17. 33 Appendite uerba, nolite numerare] cf. Serm. 237, n. 4: ‚Nolo numeres, uerba appende‘. 40 menbra G; I Cor. 12, 27. 41 subscribitis, quando Amen respondetis] cf. Serm. 272: ‚Ad id quod estis, Amen respondetis, et respondendo subscribitis‘. 46 sq. consparsura... coctura] neutrius uocabuli exempla ex Augustino adducit nouus Thesaurus linguae latinae. 53 utilis] in utile post. perperam mutat. propter uocem quae sequitur. 54 tribulationis] Eccli. 27, 6. 64 quia sine illo nihil sumus] cf. De trinit. lib.14, c. 12, n. 16: ‚Nec ipse cum omnibus eo modo quo dicimus, Dominus uobiscum.

Magna itaque hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse.‘ 67 sursum cor] singulari numero, et sic ubique apud Augustinum. 72 extollerentur] Ps. 72, 18.

# DE DOMINICA SANCTAE PASCHAE

Omnem quidem diem dominus fecit: non solum autem fecit, sed etiam facit; sic enim facit omnem diem, cum facit oriri solem suum super bo- 53v nos | et malos, et pluit super iustos et iniustos. Dies ergo iste uulgaris, bonis malisque communis, non est putandus significatus hoc loco, ubi audiuimus, Hic est dies quem fecit; quendam enim insignius praedicat, et ad quendam diem intentos nos facit dicendo, Hic est dies quem fecit dominus. Qualis iste dies, ubi dicitur, exultemus et iucundemur in eo? Qualis, nisi bonus? qualis, nisi concupiscibilis, amabilis, desiderabilis, delectabilis, de quali dicebat Ieremias sanctus, Et diem hominum non concupiui, tu scis? Quis ergo est iste dies, quem fecit dominus? Viuite bene, et uos eritis. Non enim de isto die, quem inchoat solis ortus et claudit occasus, apostolus loquebatur, cum diceret, Sicut in die honeste ambulemus. Ubi etiam dicit: Nam qui inebriantur, nocte ebrii sunt. Nemo uidet per prandium homines ebrios; sed quando fit, ad noctem pertinet, non ad diem quem fecit dominus. Sicut enim dies in eis, qui pie sancte et religiose uiuunt, temperanter iuste sobrie; sic contra in his, qui impie luxuriose superbe inreligiose, sine dubio nox tali nocti erit fur: Dies domini, sicut fur in nocte, ita ueniet, scriptum est enim. Sed cum hoc testimonium commemoraret apostolus, conuersus ad eos quibus alibi dixerat, Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino; ubi factus dies quem fecit dominus, conuersus ad eos, cum dixisset, Scitis, fratres, quia dies domini, sicut fur in nocte, ita ueniet, ait illis: Vos autem non estis in tenebris, ut dies ille uos tamquam fur conprehendat. Omnes enim uos filii lucis estis, et filii diei: non

Quis dies, quem fecit dominus.

Nemo per prandium ebrius.

sumus noctis, neque tenebrarum. Ista ergo nostra cantatio, uitae bonae est commemoratio. Quando dicimus omnes uoce consona, laeto spiritu, corde concordi, Hic est dies quem fecit dominus, congruamus sono nostro, ne testimonium contra nos dicat lingua nostra. Inebriaturus te hodie dicis, Hic est dies quem fecit dominus: non times, ne tibi respondeat, Istum diem non fecit dominus; et ipse dicitur bonus dies, quem sibi faciat luxuria et nequitia pessimum diem.

2. Ecce laetitia, fratres mei, laetitia in congregatione uestra, laetitia in psalmis et hym|| nis, laetitia in memoria passionis et resurrectionis Christi, laetitia in spe futurae uitae. Si tantam laetitiam facit quod speramus, quid erit cum tenebimus? Ecce isti dies, quando audimus Alleluia, quodammodo mutatur spiritus. Nonne quasi nescio quid de illa superna ciuitate gustamus? Si isti dies tantam nobis laetitiam faciunt, qualis erit ille, ubi dicitur, Venite benedicti patris mei, percipite regnum; quando omnes sancti congregantur in unum: quando ibi se uident, qui se non nouerant: ibi se agnoscunt, qui se nouerant: ibi secum sic erunt, ut numquam pereat amicus, numquam timeatur inimicus? Nam ecce dicimus Alleluia: bonum est, laetum est, gaudii iucunditatis suauitatis plenum est. Tamen, si semper hoc dicamus, fastidimus; quando autem interuenit certo anni tempore, cum qua iucunditate redit, cum quo desiderio abscedit! Numquid ibi sic erit gaudium, et ibi erit fastidium? Non erit. Forte dicit aliquis: Et unde fieri potest, ut hoc semper, et numquam fastidium? Si tibi aliquid ostendero in ista uita quod non possit habere fastidium, credis quia ibi totum sic erit. Fastidium in cibo, fastidium in potu, fastidium in spectaculo, fastidium in illa et illa re: numquam autem fuit fastidium sanitatis. Sicut ergo hic in ista mortalitate carnis, in ista fragilitate, in isto taedio oneris corporis numquam potuit esse fastidium sanitatis, sic ibi numquam erit fastidium caritatis, inmortalitatis, aeternitatis.

fol. 54

In futura uita se agnoscunt, qui se nouerant.

Alleluia cum qua iucunditate redit, cum quo desiderio abscedit.

Numquam in caelo fastidium.

1 Vide Praefat. ad n. XXXIV. SANCTAE] hic et alibi in sancti corr., alibi uero genus femininum seruatum est, quod et ubique intactum reliqui. 5 iniustos] Matth. 5, 45. 6 Dies e. iste uulgaris] cf. Serm. 230: ‚Dies iste uulgaris cotidianus...‘ 11 in eo] Ps. 117, 24. 14 tu scis] Hier. 17, 16. 15 Viuite bene, et uos eritis] cf. Serm. 230: ‚Quod enim cantatis, uos estis, si bene uiuitis... Si uultis esse dies quem fecit dominus, bene uiuite.‘ 16 incoat G. 18 ambulemus] Rom. 13, 13. 19 ebrii sunt] I Thess. 5, 7; in eodem Serm. 230 uterque locus Apostoli ita pariter adducitur, ac si alter esset alteri contiguus. 27 domino] Eph. 5, 8. 30 ueniet] I Thess. 5, 2. 33 tenebrarum] ibid. 4. 5. 50 regnum] Matth. 25, 34.

# DE SECUNDA FERIA PASCHAE

Duae uitae nobis per passionem domini et resurrectionem ostensae.

Passio domini et resurrectio duas ostendit nobis uitas: unam quam toleramus, alteram quam desideramus. Potens est enim illam nobis dare, qui pro nobis istam dignatus est tolerare. Hoc enim ostendit quantum nos diligat, et uoluit ut credamus, quia daturus est nobis bona sua propria, qui mala nostra uoluit nobiscum habere communia. Nati sumus, et natus est: quia morituri sumus, mortuus est. Ista duo nos in ista uita nostra noueramus, initium et finem, nasci et mori: nascendo labores inchoare, moriendo ad incerta migrare. Ista duo
54v noueramus, nasci et mori: hoc | abundat in regione nostra. Regio nostra, terra; regio angelorum, caelum. Venit ergo dominus noster ad istam regionem ex alia regione: ad regionem mortis, de regione uitae: ad regionem laboris, de regione felicitatis. Venit afferens nobis bona sua, et patienter sustinuit mala nostra. Bona sua occulte portabat, mala nostra aperte tolerabat: apparebat homo, latebat deus: apparebat infirmitas, latebat maiestas: apparebat caro, latebat Verbum. Patiebatur caro: ubi erat Verbum, quando caro patiebatur? Verbum non latebat, quia patientiam nos docebat. Ecce resurrexit dominus Christus tertia die: ubi est insultatio Iudaeorum? ubi est insultatio circumfrementium et insanientium principum Iudaeorum, et medicum occidentium? Recolite, carissimi, quae audieritis, quando eius

passio legebatur. Si Filius Dei est, descendat de cruce, et credimus ei. Si Filius Dei est, saluum faciet eum. Audiebat ista, et tacebat; pro ista dicentibus petebat, et se non ostendebat. In alio quippe euangelio scriptum est, quoniam exclamauit pro eis, et ait, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Videbat ibi suos futuros, uidebat in se continuo credituros, ipsis uolebat ignosci. Caput nostrum in cruce pendebat, sed membra sua in terra cognoscebat.

2. Cum legeretur liber Actuum apostolorum, ibi iam audistis quemadmodum cum mirarentur, qui conuenerant, apostolos et eos qui cum ipsis erant loquentes linguis omnium gentium quas non didicerant, inspirante et docente spiritu sancto quem acceperant, stupentes miraculum allocutus est Petrus apostolus, et exposuit eis, quia ipsi quidem per ignorantiam fecerunt malum istud, quod dominum occiderunt; deus autem impleuit dispositionem suam, ut pro toto mundo sanguis innocens funderetur, et omnium credentium peccata delerentur: quia ille est mortuus, in quo peccatum non potuit inueniri. Tenebatur cautio nostrorum peccatorum, tenebat contra|| nos chirografum diabolus; possidebat quos deceperat, habebat quos uicerat. Debitores omnes eramus, cum debito hereditario omnes nascuntur: fusus est sanguis sine peccato, et deleuit cautionem de peccato. Illi ergo qui loquente Petro crediderant, in Actibus apostolorum, conturbati dixerunt, Quid faciemus, fratres? dicite nobis. Desperabant enim tantum nefas sibi posse dimitti. Et dictum est illis: Agite paenitentiam, et baptizetur unusquisque uestrum in nomine domini nostri Iesu Christi, et remittuntur peccata uestra. Quae peccata? omnia. Quantum omnia? et hoc tam magnum, quod occidistis Christum. Quid enim sceleratius facere potuistis, quam quod uestrum creatorem pro uobis creatum occidistis? Quid grauius potuit facere freneticus, quam quod ab illo occisus est medicus? Dimittitur tamen et hoc, dictum est illis: omnia dimittuntur. Saeuistis, et sanguinem innocentem fudistis: credite, et bibite quod fudistis. Illi

fol. 55

In lauacro regenerationis omnia omnino dimittuntur peccata.

ergo ibi erant, qui desperantes dixerunt, Quid faciemus? et audierunt quod credentes in eum quem occiderunt posse<nt> tanti sceleris accipere ueniam. Ibi erant, ipsos uidebat: ipsos ante crucem suam uidit, quos ante mundi constitutionem praeuidit. Pro his dixit: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Illi occidebant medicum: medicus de suo sanguine faciebat occisoribus medicamentum. Magna misericordia et gloria: quid non est illis dimissum, quando illis dimissum est, quod occiderunt Christum? Ideo, carissimi, dubitare nemo debet, in lauacro regenerationis omnia prorsus et minima et maxima dimitti omnino peccata: est enim exemplum magnumque documentum. Nullum grauius peccatum, quam occidere Christum: quando et hoc est dimissum, quid in credente baptizato remanebit admissum?

Christi resurrectio sacramentum est nouae uitae.

3. Sed resurrectionem Christi consideremus, carissimi: quoniam sicut eius passio significauit nostram ueterem uitam, sic eius resurrectio sacramentum est nouae uitae. Ideo apostolus ait: Consepulti sumus Christo per baptismum in morte<m>, ut quemadmodum Christus surrexit | 55v a mortuis, sic et nos in nouitate uitae ambulemus. Credidisti, baptizatus es: mortua est uetus uita, occisa est in cruce, sepulta in baptismo. Vetus sepulta est, in qua male uixisti: noua resurgat. Bene uiue: sic uiue, ut uiuas: sic uiue, ut, cum mortuus fueris, non moriaris. Considerate, carissimi, quid dixerit dominus in euangelio homini quem curauit: Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Ista sententia conclusi fueramus, et in augustias magnas redacti: sed illius misericordia numquam deserit.

Oratio baptizatis data ut cautio contra debita cottidiana.

Orationem baptizatis dedit, quia hic sine peccato non uiuitur, ut cottidie dicamus, Dimitte nobis debita nostra. Debita sunt: illa cautio generalis, et nos non cessamus fieri debitores. Didicimus unde nobis cottidie dimittantur; sed non ideo debemus in flagitiis, in sceleribus, in criminibus quasi securi requiescere. Amica nobis non debent esse peccata: uomuimus ea, oderimus ea: non canino more ad nostrum uomitum reuertamur. Et si

subrepunt, nolentibus subrepant, non diligentibus uel studiose appetentibus: qui enim amicitias uoluerit habere cum peccatis, inimicus erit ei, qui uenit delere peccata, cum ipse nullum haberet peccatum. Fratres mei, considerate quod dico: amicus morbo, inimicus est medico. Si aegrotares corpore, et ueniret ad te medicus propter professionem suam, indica mihi quid uellet ueniendo ad te: quid uellet, nisi sanare te? Cum ergo esset amicus tibi, necesse est ut sit febri inimicus: nam si tuam febrem amaret, te non amaret. Odit ergo febrem tuam; contra illam intrauit domum tuam, contra illam ascendit in cubiculum tuum, contra illam accessit ad lectum tuum, contra illam tetigit uenam tuam, contra illam praecepta tibi dedit, contra illam medicamenta conposuit et apposuit: totum contra illam, totum pro te. Si ergo ille totum contra febrem, totum pro te, tu amando febrem solus eris contra te. Respondebis mihi, scio, respondebis mihi et dices: Qui<s> est, qui amet febrem? Scio et ego, aegrotus non amat || febrem, sed amat quod petit febris. Quid est quod dixit medicus, cum ingressus ad te fuerit, arte armatus aduersus febrem tuam? Dicit tibi, uerbi gratia: Frigida noli bibere. Ne bibas frigida, a medico audisti, inimico febris tuae. Cum discesserit medicus, febris dicit: Bibe frigida. Quando tibi dixerit febris, dicere habes: Illa aestuatio febris est. Sermocinatio tacita tibi loquitur, ingerit faucibus siccitatem, facit frigida delectationem: memento quid dixerit medicus, noli bibere. Sed medico absente febris adest. Quid medicus dixerat? Vis illam uincere? noli illi cedere. Si iunxeris te medico contra febrem, duo eritis: si consenseris febri, uincitur medicus, sed malo aegroti, non medici. Absit autem, ut medicus Christus uincatur in eis, quos praesciuit et praedestinauit: quia ipsos et uocauit, et quos uocauit, ipsos et iustificauit; quos autem iustificauit, ipsos et glorificauit. Coerceantur uitia, conpescantur libidines, torqueatur liuore diabolus et angeli eius. Si deus pro nobis, quis contra nos?

Amicus morbo inimicus est medico.

Medicus Christus, nobis amicus, febri nostrae inimicus.

fol. 56

4. Quod autem Christus ostendit resurrectione corporis sui, bene uiuendo incipite spiritaliter agere. Illud uero ipsum, id est, ipsam proprietatem, ipsam ueritatem, ipsam carnis incorruptibilitatem, modo nolite sperare: merces fidei est, finito die redditur merces. Nunc in uinea laboremus, finem diei expectemus: qui nos enim conduxit, ut laboremus, non nos deserit, ne deficiamus. Pascit operarium laborantem, qui ei praeparat donare die finito mercedem: sic et modo dominus laborantes in hoc saeculo pascit nos, non solum cibo uentris, sed etiam cibo mentis. Si non pasceret, ego non loquerer; quia uerbo pascit, hoc agimus, qui eum uestris non uentribus sed mentibus praedicamus. Esurientes accipitis, epulando laudatis: quid est quod

Acclamatio auditorum.

clamatis, si ad mentes uestras nulla esca peruenit? Sed nos quid sumus? Ministri eius, serui eius: non enim nostra, sed de cellario ipsius proferimus, quod uobis erogamus. Inde et nos uiuimus, quia conserui sumus. Et quid uobis

56v minis| tramus: panem ipsius, an panem ipsum? Quisquis hominem operarium conduxisset ad uineam suam, panem illi posset dare, non se. Christus se ipsum dat operariis suis:

Christus se nobis praestat in pane, seruat in mercede.

se ipsum praestat in pane, se ipsum seruat in mercede. Non est ut dicamus: Si modo eum manducamus, in fine quid habebimus? Nos manducamus, sed ipse non finitur: esurientes reficit, sed ipse non deficit. Pascit modo laborantes, quibus manet integra merces. Quid enim melius accepturi sumus, quam ipsum? Si aliquid se melius haberet, hoc daret: sed deo nihil est melius, et Christus deus est. Attende, In principio erat Verbum, et Verbum erat apud deum, et deus erat Verbum: hoc erat in principio apud deum. Hoc quis capit? quis colligit? quis intuetur? quis contemplatur? quis digne cogitat? Nemo. Verbum caro factum est, et habitauit in nobis. Ad hoc te uocat, ut operarius labores. Verbum caro factum est. Vocat te ipse: erit laus tua Verbum, dominus erit merces tua.

1 Vide Praefat. ad n. XXXV. PASCA G. 2 nobis ostendit *β* (= A. Mai, Noua Patrum Bibliotheca, t. I, p. 162 sq., serm. 83). 3 coleramus G. desyderamus G. 4 donare *β*. 6 quod daturus sit *β*. 9 morituri sumus] et add. *β*. 11 inchoare] h s. l. suppl. G. 12 habundat G; abundabat *β*; cf. August. serm. 233, 4: ‚Magnum quid huc adtulit mercator iste de regione sua ueniens: mercator iste inuenit in regione nostra quod hic abundat. Quid hic abundat? Nasci et mori.‘ 14 noster] om. *β*. 16 Venit] cum praecedentibus *β*, cum sqq. G coniungit. patienter sustinuit] G; prius patiens *β*. 17 occulta ... aperta *β*. 18 apparebat enim homo *β*. 20 caro quando *β*. 21 non latebat] G; non repellebat *β*. 22 tertio *β*. 23 insultatio G; insania *β*. 24 principum Iudaeorum] om. *β*. 25 audieritis] *β*G, sed hic statim corr. audistis 27 ei] ex Matth. 27, 40 et 42. faciet G*β* fort. pro faciat? cf. Matth. 27, 43. 31 faciunt] Luc. 23, 34. Videbat ibi suos futuros] om. *β*. 33 menbra more suo G. in terra cognoscebat] reliqua in *β* desiderantur usque sed ipse non deficit l. 157. 34 ibi] conieci; ubi G. 35 quem ammodum G. 41 dispositionem suam] cf. Act. 3, 17. 18. 46 uincerat corr. 51 nobis] Act. 2, 37 ubi quidem uerba, ‚dicite nobis‘, quae nescit Vulgata editio, ab Augustino leguntur, Enarr. in Ps. 73, n. 22. 54 uestra] Act. 2, 38. 63 possent] scripsi; posse G. 65 constitutionem] cf. Eph. 1, 4 et al. 70 quod] iterum ex coniectura; qui G. 80 in morte G. quem ammodum constanter. 81 ambulemus] Rom. 6, 4. 88 contingat] Ioh. 5, 14. conclusi] erat primum conclus, cui si s. l. additum est. 92 nostra] Matth. 6, 12. 108 contra illam a. i. cubiculum tuum] haec postea in marg. infer. suppleta. 114 Qui est G. 119 inimico] correxi ex inimica. 122 frigidam G seq. uocabuli causa. 128 praedistinauit 130 glorificauit] Rom. 8, 29. 30. 133 nos?] ibid. 31. 143 cybo ... cybo 146 aesurientes ... aepulando 147 aesca 152 ueneam corr. 157 reficit] ex refecit. Pascit modo laborantes] ab his rursum *β* prosequitur. 159 se] om. *β*. 163 deum] Ioh. 1, 1. 2. 165 in nobis] ibid. 14; reliqua apud *β* hoc modo leguntur: Ad hoc te aduoca; operare laborans; ad Verbum caro factum est aduoca te. Ipsa erit salus tua: Verbum Dominus erit merces tua sine fine mansura.

# DE SECUNDA FERIA PASCHAE II.

Resurrectionem domini alii uiderunt, alii nuntiatam non crediderunt; et exprobrantur ab ipso domino iam praesente, quia non crediderunt eis qui uiderunt et nuntiauerunt. Quanta dignatio gentium, et longe postea natorum! Quid praestitit deus eis, quibus modo implentur ecclesiae Christi? Apostoli sancti cum domino ambulauerunt, uerbum ueritatis ex ore eius audierunt, mortuos suscitantem uiderunt; et resurrexisse dominum non crediderunt. Nos autem, qui longe post nati, praesentiam eius corporalem numquam uidimus, nullum uerbum ex ore carnis eius audiuimus, nullum ab eo factum miraculum his oculis aspeximus; et tamen credidimus, audientes litteras eorum, qui tunc credere noluerunt. Factum recentissimum nuntiatum sibi non crediderunt: scripserunt quod legeremus; audiuimus, et credimus. Quod autem dominus Iesus noluit apparere Iudaeis, dignos esse qui post resurrectionem dominum Christum uiderent non iudicauit: suis se ostendit, fol. 57 non alienis. Et dum praedicant || sui, crediderunt alieni; et qui fuerunt alieni, facti sunt sui. Multi enim ex ipsis, sicut legitur in Actibus apostolorum, multi ex ipsis qui dominum crucifixerunt, qui sanguine eius effuso polluti sunt; multi ex ipsis qui dixerunt, Sanguis eius super nos et super filios nostros, postea crediderunt annuntiantibus apostolis. Eius super illos reuera fuit sanguis, sed abluendos, non perdendos: super alios perdendos, super alios mundandos: super perdendos iustus, super mundandos misericors. Et nunc numquid omnium est fides? Quomodo tunc ipsi Iudaei alii crediderunt, alii non crediderunt, sic et nunc gentes: crediderunt alii, non credunt alii. Non est omnium fides. Quorum est autem fides, gratia credunt: non se iactent, dei donum est. Numquid ideo nos elegit dominus, quia boni eramus? Non elegit bonos, sed quos uoluit facere bonos. Omnes in umbra mortis fuimus, omnes in massa peccati de Adam ueniente colligati tenebamur.

Sanguis Christi super perdendos iustus, super mundandos misericors.

Massa peccati.

Radice uitiata qualis nasci potuit fructus ex arbore generis humani? Sed qui sanaret uitia, uenit sine uitio; et qui uenit mundare peccata, uenit sine peccato.

2. Ne attendatis Iudaeos qui modo sunt palea, id est, illius areae quae tunc triturata est. Nam si consideremus, fratres mei, de Iudaeis prophetae, de Iudaeis patriarchae, de Iudaeis apostoli, de Iudaeis uirgo Maria, quae peperit Christum; de Iudaeis postea Paulus credens, et tot milia in uno die baptizata: de Iudaeis innumerabiles ecclesiae Christianorum. Sed illa frumenta iam in horreo recondita sunt: de paleis diabolus ludet. Iudaei fideles, et Iudaei infideles. Ubi sunt primo damnati? In primo, in patre omnium ipso Iacob, qui appellatus est etiam Israhel. Iacob, supplantator; Israhel, uidens deum. Quando reuersus est de Mesopotamia cum filiis suis, angelus cum illo luctatus est, gerens personam Christi; et cum luctaretur, longe excellens uirtute, uelut succubuit illi, et praeualuit Iacob. Sic et dominus Christus subcubuit Iudaeis: praeualuerunt, quando occiderunt. Magna uirtute uictus est: ubi uictus est, ibi nobis uicit. Quid est, ubi uictus est, ibi nobis uicit? Quia unde passus est, sanguinem | fudit, quo nos redemit. Ergo 57v
sic scriptum est, praeualuit illi Iacob. Et tamen ipse Iacob, qui luctabatur, agnoscebat mysterium. Praeualuit luctans homo angelo: et cum dixisset illi, Dimitte me, ait ille qui praeualuerat, Non te dimitto, nisi benedixeris me. O grande mysterium! benedicit uictus, qui liberat passus; tunc ipsa fuit tota benedictio. Quid uocaris? dixit illi. Ille respondit, Iacob. Non uocaberis Iacob, ait, sed uocaberis Israhel. Tanti nominis inpositio, magna est benedictio. Israhel interpretatur, ut dixi, Videns deum: nomen unius, praemium omnium. Omnium: sed fidelium et benedictorum, et Iudaeorum et Graecorum. Graecos enim apostolus omnes gentes dicit, propterea quia in gentibus graeca lingua extollitur. Gloria, inquit, et honor — apostoli uerba sunt — gloria et honor et pax omni operanti bonum, Iudaeo primum et Graeco; ira et indignatio,

Iudaei in Iacob alii damnati, alii benedicti.

tribulatio et angustia, in omnem animam operantis malum, Iudaeis primum et Graecis. Iudaeis bonis bonum, malum malis; gentibus bonum bonis, malum malis.

In Iudaeis plerisque errat nomen, manet crimen.

3. Non se extollant Iudaei, et dicant: Ecce tamen Iacob pater noster est; praeualuit angelo, et benedictus est ab angelo. Nos dicimus: Populus Israhel, attende ibi te; Israhel non es tu: uocaris, sed non es: errat in te nomen, manet in te crimen. Sed dicit mihi: Ecce Iacob pater meus, ecce Israhel pater meus; ecce nomen, ubi est crimen? Ibi lege, ibi te inueni. Ibi enim scriptum est: Et tetigit ipsi Iacob latitudinem femoris, et aruit, et claudicabat. Iacob unus homo, et benedictus, et clodus. In quibus benedictus, et in quibus clodus? Si credidisti in Christum, agnosce te benedictum; si negasti Christum, agnosce te clodum: de illis enim es, de quibus dicit propheta, Et claudicauerunt a semitis suis. Unde erant mulieres sanctae, quibus primum se resurgens dominus demonstrauit? nonne de Iudaeis? Unde erant apostoli, qui et si primo nuntiantibus
fol. 58 mulieribus non cre || diderunt, ipsum tamen postea audierunt, et exprobrantem cognouerunt, et magistro cohaeserunt? nonne de Iudaeis? Ecce Israhel benedictus. Sed in multis claudus, in paucis benedictus: ipsa est enim latitudo femoris, multitudo generis. Non utcumque dixit, Tetigit femur, sed, latitudinem femoris. Ubi femoris latitudo, procul dubio generis multitudo. Et quid mirum? Agnosco pauca grana, admiror aceruum palearum; sed uideo quid debeatur horreo, quid flammae. Et nunc audiant, adhuc uiuunt: corrigant claudicationem, ueniant ad benedictionem.

1 Vide Praefat. ad n. XXXVI. PASCE G; et numerus quidem II. non in fronte sermonis, sed in fine adpositus est. 3 et] uidetur ex proposito esse deletus. 13 credidimus] item in credimus post. mut. uidetur. 15 legerimus G. 21 legitur i. A. a. m. ex ipsis] haec s. l. suppl. 24 nostros] Matth. 27, 25. 28 Et nunc] 2 m. s. l. add. s. dico. 30 gentes] eadem 2 m. s. l. praem. inter. 31 fides] II Thess. 3, 2. 37 Sed qui] eadem 2 m. ac supra add. s. l. s. Christus deus. 42 apostoli] item 2 m. add. s. prodierunt. 43 Christum] 2 m. s. l. add. s. exorta

est. credens] s. ortus est idem glossator s. l. 48 apellatus G. 57 Iacob] cf. Gen. 32, 28. 60 benedixeris me] ibid. 26. 64 Israhel] ibid. 27 sq. sed haud ita presse. 68 proterea G. 73 Graecis] Rom. 2, 10. 8. 9; cogitaui ut emendarem Iudaei p. e. Graeci, datiuum tamen propter ea, quae sequuntur, seruaui. 78 errat in te nomen, manet in te crimen] cf. Aug. Serm. 232, 8: ‚Si autem fit, nomen errat, crimen manet'; De patientia, c. 6, n. 5: ‚Cum uero illa tenetur in crimine, tunc huius multum erratur in nomine'; item infra Tract. XXIII, n. 4. 82 et claudicabat] Gen. 32, 25; quem locum eodem modo Aug. interpretatur Serm. 5, n. 6 et 8. 87 suis] Ps. 17, 46.

# <DE TERTIA FERIA PASCHAE>

Audistis quid dominus discipulis suis post resurrectionem suam dixerit iam non moriturus, et timorem mortis auferens morituris...............
..........................................

2. Quod enim deus sit Christus, nec illi negant qui nolunt eum confiteri cum patre unius esse substantiae: confitentur deum, aequalem negant; ergo duos deos faciunt. Nos autem sic aequalem dicimus patri filium, ut singillatim si quaeratur a nobis, utrum deus sit pater, deum esse fateamur: utrum deus sit filius, deum esse fateamur: utrum hi pater et filius dii sint, an deus, deum esse fateamur. Hoc infirma et humana corda non capiunt: hoc tam magnum atque diuinum, quando quidem de deo sermo est, infirmitas humana non potest cogitare; sed potest credere, ut postea fiat idonea cogitatio. Dictum est enim domino, Ostende nobis patrem, et sufficit nobis. Hoc qui dicebat, patrem in filio non agnoscebat: hoc enim uidebat, quod Iudaei crucifigere potuerunt; illum non uidebat, quem Iudaei latentem offendebant. Et hoc totum putabat esse Christum, quod oculis intuebatur; et ideo non illi sufficiebat, quia non totum uidebat. Et quia nihil amplius in Christo esse credebat, ideo quod eis sufficeret patrem quaerebat. Tamquam diceret: Te | quidem nouimus, te quidem uidemus; sed ad- 58ʳ
huc aliquid maius desideramus. Ostende nobis patrem, et

Quid sit Deus, non possumus cogitare, sed possumus credere.

sufficit nobis: ulterius enim non erit quod quaeramus, cum patrem didicerimus. Et ille uolens se ostendere patri aequalem, Tanto, inquit, tempore uobiscum sum, et non cognouistis me?

3. (4) Philippe, qui me uidit, uidit et patrem. Quid est, Qui me uidit, uidit et patrem, nisi quia non me uides tu, quia maiorem putas patrem? Qui me uidit, uidit et patrem. Non sine causa putas patrem sufficere tibi, nisi quia me nondum uides. Ostende nobis patrem, et sufficit nobis. Vide me, et sufficio tibi. Et tamen uidenti hoc dicebat: uidenti et non uidenti: uidenti formam serui, non uidenti formam dei. Nam si formam dei uideret, ibi uideret aequalem patri filium: quia cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse aequalis deo. Quia natura erat, rapina non erat. Cui rapina fuit, cecidit; et unde cecidit, inde deiecit. Ipsam enim rapinam cum homine quem deiecit diabolus communicare uoluit, ut haberet comitem in supplicio, quem consortem uoluit habere in peccato. Quid enim aliud hominibus dixit, nisi: Gustate, et aperientur uobis oculi, et eritis tamquam dii? Haec est rapina. Superbia ista rapina est, usurpatio est, non dignatio. Nam si non usurpemus, erimus gratia, quod superbia non erimus; ad gratiam enim pertinet, Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes. Sed ego dixi: quod dixi, ipse facit. Sed quales dii homines, quales dii? Aequales angelis dei. Hoc promissum est, ultra non quaeramus: non enim deo aequales erimus, sed aequales angelo facti, in terra patrem et filium et spiritum sanctum

59v sicut credimus, ita et uidemus. Quia ergo mul | tum erat Philippum uidere quod dixit dominus — adhuc enim grauabatur corpore corruptibili: nondum uenerat quod dicit apostolus, Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem — quia multum erat illum cogitare quod audiuit a domino, Qui me uidit, uidit et patrem... Considerate non frustra dictum, uidit et patrem. Non dixit, Qui me uidit, uidit patrem; ne daret occasionem Sabellianis, qui dicuntur Patripassiani, qui dicunt ipsum esse patrem,

Videnti totum Christum nihil ultra quaerendum est.

Sabellianorum error.

qui est filius; sed quando uult, pater est: quando uult, filius est. Ne huic errori alteri daret occasionem, non dixit, Qui me uidit, uidit patrem, sed, uidit et patrem: sic et patrem et filium. Pater ergo et filius, duo. Quid duo? Si quaeras a me, pater et filius duo.

Non intellegis, ut credas, sed credis ut intellegas.

4. (3) Quicquid iterum dicis, iterum respondeo. Pater et filius, quid? dii? Non, duo. Quid ergo? Unus deus. Non intellego, inquit. Pater non est filius, filius non est pater: duo sunt. Deus est pater, deus est filius: et non sunt duo dii? Non intellego. Quid tibi ergo ego dicam non intellegenti? Audi prophetam: Nisi credideritis, non intellegitis. Non intellegis, ut credas; sed credis, ut intellegas: opus est fides, merces intellectus. Nisi credideritis, non intellegitis. Audi tamen ipsum dominum, ut discas quid credas. Si diligeretis me, gauderetis, quia uado ad patrem: quoniam pater maior me est. Modo quasi extitit, qui intellegat. Ecce, inquit, modo intellego. Pater maior me est. Forma serui loquitur: formam dei quaere. Hoc ergo dixit. Si diligeretis me, gauderetis quia eo ad patrem, quia pater maior me est. Modo quod me uidetis, ibi me uidetis, ubi minor sum. Cum ergo ibi me uideatis, ubi minor sum, si amatis me, eam illuc ubi aequalis sum. Miraris quia filius minor est patre in forma serui? Ego tibi dico quia et se ipso minor est, quia semet ipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Si autem intellegis de illo esse dictum, Minoratus est paulo minus ab angelis; iam ergo si applicuisti te formae serui, noli ibi remanere, surge inde, aequalem patri Christum confitere. Quare libenter audis, Pater maior me est? Libentius audi, Ego et pater unum sumus. Ecce catholica fides, tamquam inter Scyllam et Caribdim nauigans, sicut nauigatur in illo freto inter Siciliam et Italiam: ex una parte saxa naufraga, ex alia parte uorago nauiuora. Si || in saxa incurrerit, frangitur; si in uoragine<m> incurrerit, absorbetur. Sic et Sabellius, Unus est, dixit, non sunt duo, pater et filius. Obserua naufragium. Item Arrianus, Duo sunt: unus maior, alter minor, non ae-

Catholica fides inter Scyllam et Charybdim nauigans.

fol. 59

Catholici recte orthodoxi nominati.

quali substantia. Obserua uoraginem. Inter utrumque nauiga, et rectum iter tene. Non enim sine causa catholici orthodoxi nominati sunt: orthodoxon graece, latine rectum est. Si ergo tenueris rectam lineam, nec in Scyllam nec in Caribdim incurris. Tene ergo tu, Ego et pater unum sumus. Ego et pater audiat ..............................

5. (6) et Arrianus unum, et Sabellius audiat sumus. Quod audis, unum, a Caribdi te abstinebis: quod audis, sumus, ab Scylla te seruabis. Unum sumus, dic, et recte nauigabis. Ecce audiuimus, unum sumus: unum, quia eiusdem substantiae: unum, quia non dissimilis disparisque naturae: unum, quia summa aequalitas, in nullo discrepanti<a>, in nullo diuersitas. Ecce quare, unum: quare, sumus? Quia pater et filius unus deus est. Quare ergo unus deus est, non sumus? Unus enim deus pater et filius et spiritus sanctus, unus deus est: tres sunt, et unus deus est. Pater non est filius, filius non est pater, spiritus sanctus nec pater nec filius, sed patris et filii spiritus: et hoc totum unus deus. Quare unus deus? Quia tanta ibi caritas, tanta pax, tanta concordia, in nullo dissonantia. Modo tibi dico unde credas, quod non potes intelligere nisi credas. Quot animae erant, dic mihi, in Actibus apostolorum, quae crediderunt, cum apostolorum miracula intuerentur? Illos dico Iudaeos, qui dominum crucifixerant, qui manus cruentas attulerunt, qui aures sacrilegas habebant, quorum lingua gladio conparata

Si multitudo fidelium anima una, quanto magis tres personae diuinae unus Deus.

60v est: Dentes | eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus. Tamen quia non sine causa pro illi<s> precem fuderat Christus, nec sine causa dixerat, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, de ipso numero plurimi crediderunt; et, sicut legimus, crediderunt illo die, dictum est, tria milia animae. Ecce milia sunt animarum, et ecce tot milia animae; et tamen uenit in eos spiritus sanctus, per quem diffunditur caritas in cordibus nostris. Et quid dictum est de tot animabus? Erat illis anima una et cor unum. Tot animae, anima una: non natura, sed gratia. Si tot animae per illam gratiam desuper

uenientem factae sunt anima una, miraris quia pater et filius et spiritus sanctus unus est deus? Itaque, fratres mei, tenete fortissimam et integerrimam et catholicam fidem. Quando auditis uel legitis in scripturis, ubi ostenditur maior pater, formam serui recolite; ubi autem legitis unum esse patrem et filium, diuinitatem credite. Et si non estis idonei cogi

Fortissima et integerrima fides catholica.

6. (5) tare, tamen fidem tenete: ipsa perducit, ipsa facit ut opera uestra bona acceptentur deo. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Dicit uobis aliquis, Mortuus est Christus? Confitere mortuum, sed in carne. Et quis est mortuus? Unicus dei filius, dominus noster Iesus Christus. Ergo moritur diuinitas? Non moritur diuinitas. Non est ergo mortuus Christus? Mortuus est deus Christus. Quomodo mortuus est deus Christus, si diuinitas non moritur? Quomodo mortui sunt et apostoli in carne, non in anima. Ubi est ergo mortuus apostolus, in carne, sic ergo mortuus est Christus in carne. Tamen Christus est mortuus: etsi ex parte qua mori potuit, non tamen ex diuinitate mori potuit. In principio enim erat Verbum, et Verbum erat apud deum, et deus erat Verbum. Ubi mors? nusquam. In principio non est factum Verbum, sicut in principio fecit deus caelum et terram: hoc fecit Verbum. Quid erat in principio? Ergo erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Quaere mortem, non inuenis: non est ubi, non est unde, non est quis. Non est ubi, quia non est inter manus Iudaeorum: non est unde, quia non habet carnem et sanguinem: non est quis, deus est, aequalis est patri. Unde ergo mortuus? Verbum caro factum est, et habitauit in nobis.

Quomodo mori potuit Deus Christus.

1 Vide Praefat. ad n. XXXVII. Nulla omnino inscriptio in codice, neque certo definiri potest, utrum ad secundam, an ad tertiam Paschae feriam sermo pertineat; lege sis tamen not. ad l. 163. 4 auferens morituris] cf. Serm. 147, 3: ‚Resurgendo Christus abstulit mortis timorem.‘ Porro hic iam primum rimarum indicium, nec ullum ex sequentibus fragmentis huic initio conuenienter aptatur. 17 nobis] Ioh. 14, 8. 30

altero numero ordinem, quo sibi in cod. fragmenta succedunt, indicaui. Philippus G; quo uocabulo in uocatiuum mutato omnia cum superioribus cohaerent. patrem] Ioh. 14, 9. 38 quia] fort. leg. qui. 39 aequalis deo] Phil. 2, 6 ubi licet perperam 2 m. emendauerit aequalem, tamen pronomen se, quod in Vulgata habetur, omisit; cf. supra Tract. 1, l. 133. 41 cum hominem G. 45 dii] Gen. 3, 5. 48 omnes] Ps. 81, 6; quo loco Aug. modo altissimi, modo excelsi legisse constat. 49 quid dixi? G. 50 angelis dei] Luc. 20, 36. 57 faciem] I Cor. 13, 12. 58 et patrem] suspensa remansisse elocutio uidetur. 60 Sabellianis, qui dicuntur Patripassiani] cf. Aug. Serm. 71, 5: ‚sicut Sabelliani, quos quidam Patripassianos uocant'; Lib. de haeres. n. 41: ‚ut Patripassiani quam Sabelliani crebrius nuncupentur.' 62 quando uult, filius est] item Serm. 183,7: ‚Quando uult, filius est: quando uult, pater est.' 67 Quicquid iterum etc.] Fragmentum hoc, quod tertio loco f. $58^v$ legitur, haud male quidem cum praecedenti cohaeret, licet uerborum consequentia non nihil passa esse uideatur. 68 quid? dii? Non, duo] ita primum scriba interpunxit, excepto commate, quod post non ipse interposui; postea uero aliquis erasis duabus interrogandi notis aliam post duo substituit. Quid ergo? Unus deus] post. corr. quid ergo unus deus? 72 intelligitis] Esai. 7, 9. 77 est] Ioh. 14, 28. 86 accipiens] Phil. 2, 7. 87 angelis] Hebr. 2, 7. 91 sumus] Ioh. 10, 30. inter Scyllam et Caribdim] Eadem metaphora de iisdem haeresibus, In Ioh. tract. 36, 9; tract. 37, 6. 95 in uoragine G. 99 catholici orthodoxi nominati sunt] cf. De uera relig. c. 5, n. 9: ‚apud eos solos, qui christiani catholici uel orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes, et recta sectantes.' 100 orthodoxon] scripsi; orthodoxi G, deinde n super i addita est. 103 audiat] post hanc uocem iterum rima, iterumque unius saltem iactura uocabuli, fortasse Sabellianus seu Patripassianus; ceterum conexio cum seq. fragmento, licet id quidem in proximum tractatum disiectum sit, omnino perspicua est. 109 discrepanti G. 124 acutus] Ps. 56, 5. pro illi G. 126 faciunt] Luc. 23, 34. 128 animae] Act. 2, 41. 131 nostris] Rom. 5, 5. 132 unum] Act. 4, 32. 135 unus est deus?] cf. In Ioh. tract. 14, n. 9: ‚Erat illis anima una et cor unum in domino. Si caritas de tot animis fecit animam unam, et de tot cordibus fecit cor unum ..., quomodo ibi non est unus deus pater et filius?' tract. 18, n. 4: ‚Erat illis anima una et cor unum in deum. Si ergo anima mea et anima tua, cum idem sapimus nosque diligimus, fit anima una, quanto magis pater deus et filius deus in fonte dilectionis deus unus est?' 141 tare] scripsi, dare G; ab his porro syllabis quintum fragmentum fol. $59^v$ incipit, quo et totius sermonis clausula continetur. 142 deo] ita absque praepositione G. 143 peccatum est] Rom. 14, 23. 144 Et quis est mortuus? Unicus dei filius etc.] cf. supra Tract. I, l. 126 sqq. 149 in carne, non in

anima] ita etiam argumentatur Augustinus supra p. 18, l. 21. 150 **ubi**] pro **uti**? 164 **Verbum**] Ioh. 1, 1. 156 **terram**] Gen. 1, 1. **quid erat**] G, pro **quod erat**? 163 **in nobis**] Ioh. 1, 14. Haud absimilia sunt ista ab iis, quae in Serm. 232, n. 5 leguntur: ‚Unde nobis uita? unde illi mors? In principio erat Verbum, et Verbum e. a. d. e. d. e. Verbum Quaere ibi mortem. Ubi, unde, quomodo?... Non erat illi, unde haberet mortem: non habebamus nos, unde haberemus uitam; accepit ille mortem de nostro, ut daret nobis uitam de suo. Quomodo ille mortem de nostro? Verbum caro f. e. e. h. in nobis.' Qui quidem sermo cum feria tertia Paschae de discipulis in Emaus habitus sit, hunc quoque tractatum ad eandem paschalis sollemnitatis diem pertinere putauerim, licet in imo folio 59ᵛ duo haec uerba solummodo legantur: EXPLICIT TRACTATUS.

# DE TERTIA FERIA PASCHAE II.

Resurrectio domini Iesu Christi forma est christianae fidei. Quod enim natus est ex homine, homo certo tempore, deus autem ex deo, sine aliquo tempore deus; quod ergo natus est in carne mortali, in similitudine carnis peccati, quod portauit infantiam, transgressus est pueritiam, peruenit ad iuuentutem, et hanc perduxit ad mortem, hoc totum resurrectioni militabat. Non enim resurgeret, nisi mortuus esset: mortuus non || esset, nisi natus esset; ac per hoc, quod natus et mortuus est, resurrectioni profecit. Natum hominem de homine dominum Christum multi et alieni et impii crediderunt: quamuis de uirgine non nouerunt, tamen hominem natum crediderunt Christum et amici et inimici, crucifixum et mortuum Christum crediderunt et amici et inimici: resurrexisse non nouerunt nisi soli amici. Hoc autem propter quid? Ille autem dominus Christus quod nasci uoluit, quod mori uoluit, resurgere intendit: ibi nobis diffiniuit fidem. In genere enim nostro, id est, in genere humano duas res noueramus: nasci, et mori. Ut doceret et quod non noueramus, suscepit quod noueramus. Usitatum fuit in regione terrena, in condicione mortali<ta>tis nostrae, prorsus usitatum fuit nasci et mori: tam usitatum, ut in caelo esse non posset, in terra esse non

Totum in Christo resurrectioni militabat.

fol. 63

Resurrexisse Christum quare non nouerint nisi soli amici.

cesset. Resurge<re> autem, et in aeternum uiuere, quis nouerat? Hoc nouum attulit ad regionem nostram, qui uenit ex deo. Factus est pro homine homo, magna miseratio: factus homo, factor hominis. Non erat magnum Christo esse quod erat: sed magnum esse uoluit, fieri quod fecerat. Quid est, fieri quod fecerat? Fieri homo, qui hominem fecerat. Haec est miseratio eius.

2. Totum quod agitur in ista uita, in qua uolunt beati esse homines, et non possunt . . . Bonum est enim quod ualde uolunt, sed non in regione sua quaerunt quod cupiunt. Certa quaeque enim in suis regionibus nascuntur. Et in terra non ubique nascitur aurum, non ubique argentum, non ubique plumbum: ipsae fruges aliae alibi proueniunt: sicut quaeque regio tulerit uel recusauerit, alia poma in illo loco, alia in illo et in illo, diuersa per diuersa; et nihil ubique,

Beati esse hic frustra quaerimus.

nisi nasci et mori. Verumtamen hoc ipsum nasci et mori, non de uniuerso mundo, sed de ipsa parte infima mundi: in caelis enim non est nasci et mori, ex quo ibi condita sunt omnia. Cadere inde potuit princeps quidam angelorum cum sociis suis; sed pro ipsis qui ceciderunt angelis homines illuc uenturi sunt, et implebunt locum eorum qui ceciderunt. Quia ergo diabolus uidit hominem ascensurum unde ipse 63v ceciderat, uidit, | et inuidit: cecidit, et deiecit. Sed quid est, quod diabolus cecidit? quid est, quod hominem deiecit? Totum uicit, qui non cecidit, sed descendit. Cecidit homo: descendit deus, et factus est homo. Ubi ergo abundat nasci et mori, regio est miseriae: beati quaerunt esse homines in regione miseriae, aeternitatem quaerunt in regione mortis. Ait nobis dominus, ait nobis ueritas: Quod quaeritis, non est hic, quia non est hinc. Bonam rem quaeritis, quod omnis homo uult: bonam rem quaeritis, quia uiuere bonum est; sed ad hoc nati sumus, ut moriamur. Non quid uelis uide,

Ad hoc nati sumus, ut moriamur, et nemo uult mori.

sed qua condicione ueneris respice. Ideo nati sumus, ut moriamur. Desiderantibus uitam, non obtinetur a morituris, et ideo peius miseri. Nam si moreremur, et uiuere uellemus, non ualde miseri essemus; ideo autem ualde miseri sumus,

quia uiuere uolumus, et mori cogimur. Nescis quod homo quilibet non potest semper uigilare, sed uult et dormire? Non est contra uoluntatem ipsius quod dormit: uigilare semper non potest; sed quia uult et dormire. Non tamen potest esse homo, nisi et uigilare et dormire. Venitur ad uitam, et omnis homo dicit, Viuere uolo, et nemo uult mori; et cum nemo uelit mori, inpingitur mori. Quantum potest agit, manducando, bibendo, dormiendo, sibi unde uiuat prouidendo, nauigando, ambulando, currendo, cauendo, uiuere uult. Plerumque a periculis multis liberatus uiuit: sed teneat, si potest, aetatem suam; non perueniat ad senectam. Transitur periculosus dies, et dicit homo, Euasi mortem. Unde euasisti mortem? Quia transitus est periculosus dies. Tamen additus est tibi dies: unum plus uixisti, unum minus habes, si computo. Si enim uiuiturus eras, uerbi gratia, triginta annos, transacto isto die, recedit de summa uiuituri, accedit ad pondus morituri. Et dicunt tamen, Accedunt anni homini. Ego dico, quia recedunt: illam enim summam attendo quae remansit, non quae transiit. Accedunt, quare? Quia qui uixit quinquaginta annos, iam quinquaginta unum habet. In quibus || uiuit, uel quos uiuiturus est? Octoginta fol. 64 annos, uerbi gratia, uiuiturus erat: habet inde quinquaginta, restant triginta. Vixit unum: habet quod uixit, quinquaginta unum sunt: quod uiuiturus est, uiginti nouem restant; et hinc recessit unus, huc accessit alter: sed cum accessisset, non tenes unde recessit. Timens uiuit et alterum, remanserunt uiginti octo: uiuit et tertium, remanserunt uiginti septem. Viuendo tollitur unde uiuitur, et ducendo uita minuitur et non est: quia non est quomodo dies ultimus euadatur.

Non accedunt anni homini, sed recedunt.

3. Sed uenit dominus noster Iesus Christus, et tamquam allocutus est nos: Quid timebatis, o homines, quos creaui, et quos non deserui? O homines, ruina a uobis, creatura a me: o homines, quid timebatis mori? Ecce morior, ecce patior: ecce quod timebatis non timeatis, quia ostendo quod speretis. Ecce sic fecit, demonstrauit nobis

Spe resurrectionis timor mortis uincendus.

resurrectionem in aeternum: ipsam euangelistae scriptis suis terminauerunt, per orbem terrarum apostoli praedicauerunt. Propter ipsius resurrectionis fidem sancti martyres mori non timuerunt, et tamen mori timuerunt: magis enim morerentur, si mori timerent, et timore mortis Christum negarent. Quid est tamen Christum negare, nisi uitam negare? Quanta dementia est, amando uitam negare uitam! Ipsa ergo nobis determinatio fidei est Christi resurrectio. Unde etiam scriptum est et in ueteri et in nouo testamento, agere paenitentiam et accipere remissionem peccatorum, in uiro in quo diffiniuit fidem omnibus, suscitans eum a mortuis. Haec est diffinitio fidei, resurrectio domini nostri Iesu Christi. Viuitis, si uiuatis: hoc est, in aeternum uiuitis, si bene uixeritis. Nolite timere male mori: timete, sed male uiuere. Mira peruersitas! Omnis homo timet quod nemo euadet, et non facit quod potest facere. Ut non moriaris, non potes facere; ut bene uiuas, potes. Fac quod potes,
64v et non timebis quod non potes. | Nihil enim tam certum est homini quam mors. Incipe ab initio. Conceptus est homo in utero: forte nascitur, forte non nascitur. Iam natus est: forte crescit, forte non crescit: forte discit literas, forte non discit literas: forte ducit uxorem, forte non ducit: forte habebit filios, forte non habebit: forte bonos habebit, forte malos habebit: forte bonam uxorem habebit, forte malam habebit: forte diues erit, forte pauper erit: forte ignobilis erit, forte honoratus erit. Numquid inter haec potest dici, Forte morietur, forte non morietur? Ergo omnis homo natus aegritudinem incidit, de qua nullus euadet natus. Moritur inde, quo modo solet dici. Ydrops est: necesse est moriatur, nemo inde euadet. Elefantiosus est: necesse est moriatur, nemo inde euadet. Natus est: necesse est moriatur, nemo inde euadet. Quia ergo necesse est ut moriatur, quando quidem nec ipsa uita hominis saltim diuturna esse permittitur, cuiusuis ab infantia decrepiti senis, non restat, nisi confugere ad eum qui pro nobis mortuus est, et resurgendo spem dedit; ut, quia in ista uita, in qua currimus, non

Nihil tam certum homini, quam mors.

possumus nisi mori, nec eam possumus facere aeternam, quam multum amamus, ad eum confugiamus, qui promisit nobis aeternam. Videte enim quid nobis promiserit dominus, fratres: et aeternam, et beatam. Certe ista misera est: quis hoc nesciat, quis non fateatur? Quanta habemus, quanta patimur, quae nolumus, in ista uita! Rixae, dissensiones, temptationes, ignorantia cordis nostri in inuicem, ita ut aliquando nescientes amplectamur inimicum, timeamus amicum: ubi fames, ubi nuditas, ubi frigora, ubi aestus, ubi lassitudines, ubi aegritudines, ubi zelotipiae. Certe misera est haec uita. Tamen, si posset nobis dari aeterna, ipsa misera, quis non gratularetur? || Quis non diceret, Sic uolo esse, quomodo sum, tantum mori nolo? Si malam uitam uis habere, qualis est ille qui dabit et sempiternam et beatam? Sed si uis peruenire ad sempiternam et beatam, habeto temporalem bonam. Bona erit in opere, beata erit in mercede. Si autem recusas opus, qua fronte mercedem quaeris? Si non potueris dicere Christo, Feci quod iussisti, quomodo audebis dicere, Redde quod promisisti?

Ad uitam aeternam et beatam non peruenitur nisi per temporalem bonam.

fol. 65

1 Vide Praefat. ad n. XL. Inscriptionem ex ea, quae in fine legitur, suppleui; In feria III Paschae sermo β (= A. Mai, Noua Patrum Biblioth. I, 73, Serm. 34). 2 domini] nostri add. β. 4 dominus autem ex domino est β. 5 deus] om. β. quid ergo G. in similitudinem β. 8 militauit β. 10 quod natus est β. 11 profecit] β; proficit G. Christum dominum β. 12 alieni] alii β. et impii om. β. 14 sq. crediderunt Christum β. 15 et amici om. β. et inimici] sed inimici β, et haec cum sqq. coniungit. 17 Christus om. β. 18 nobis] s. l. corr. ex nos G. 19 hoc est β. duas res] β hic add. non noueramus: suscepimus quod noueramus, quibus uerbis quid loci intellegentiae accedat, haud equidem uideo. nasci et mori] uide sis not. ad Tract. IX, l. 12. 20 Ut] Nam ut β. et quod] om. quod β. 21 Usitatum] Itaque cum β. 22 mortalitis G. usitatum fuit] ita eum decuit β. 23 tam usitatum] Nam usitatum est β, qui pessime corruptum, ut uides, textum exhibet. esse] homo add. β. 24 cesset] desineret β. Resurge G. et] om. β. 26 Factus est] β om. est, et factus cum superioribus coniungit, quin et magna miseratio: factus homo pariter praetermittit. 27 hominis] deus add. β; idem ἀντίθετον infra Tract. XXXII, n. 5: ,creator noster, creatus inter nos: qui fecit nos, qui factus est propter nos.' 28 fieri quod

fecerat] se fieri quod coeperat *β*. 29 quod fecerat?] quod coeperat rursum *β*. 31 quod] om. *β*. agitur] igitur *β*. in qua] corr. ex in quo G. 32 et non possunt] post haec uerba, uti alias apud Hieronymum ipsumque Augustinum, sententia manet interrupta, oratoris animo ad alia festinante. quod ualde] ualde quod *β* forte melius. 33 sed in regione sua non quaeritur *β*. 34 nascuntur. Et in terra] G; quaeruntur in terra *β*. 39 Verumtamen h. i. n. e. mori] om *β*. mundo] dico in modum parenthesis add. *β*. 40 ipsa] ista *β*. imfima G. 42 princeps quidam angelorum] primus quidem angelus *β*. 48 Cecidit homo] Ab his usque l. 147 nihil iam genuini textus in *β* reperias. 49 habundat G litterula post habun erasa. 53 hinc] n s. l. suppl. 54 quia] scripsi; quid G littera rursus in fine deleta. 57 optinetur G. 58 uellemus] an pro nollemus? 61 dormire] interrogandi notam adposui. 66 inpingitur] aliquid post gi eras. 74 cumputo G. 74—83 uiuiturus] quater, cuius participii exempla habes Tract. I, 261 et infra Tract. XXVIII, n. 7. 74 uerbi gratia, triginta annos] Eodem fere modo Augustinus infra, Tract. XXX, n. 1: ‚restabant tibi, uerbi gratia, triginta anni.‘ 75 die] add. post. s. s. l. 80 quos] conieci; quod G. est] hic quoque interrogandi notam addidi. 90 tamquam] in taliter rec. m. mut. 97 terminauerunt] eodem fere sensu ac l. 18 supra ‚ibi nobis diffiniuit fidem‘; cf. etiam 1. 103 ‚determinatio fidei‘. per orbem terrarum] cum praeced. G coniungit, rhythmi uero et consequentiae causa cum sqq. conectere malui. 99 mori timuerunt] mori non timuerunt G, sed negatio secundo loco euidenter expungenda est. 105 in uirum G. 106 mortuis] Act. 17, 31. 111 non moriaris] negatio m. rec. suppl. s. l. 122 sqq. Eadem fere legere est ap. Augustinum Serm. 77, n. 14. 146 si uis] si item post. add. s. l. 147 temporalem bonam] Ex his quae iam sequuntur nonnulla in *β* legere est, sed ea plerumque interpolata atque corrupta. 150 promisisti] clausulam ab Augustino certo alienam add. *β*.

# DE QUINTA FERIA PASCHAE I.

70v Bonum est ut commemoremini quod omni anno soletis audire: sicut enim quod scriptum est non sufficit semel legi, sic non sufficit quod non intellegitur semel exponi. Qui ergo quod audierunt et intellexerunt animo tenent et bene meminerunt, patienter audiant, cum etiam illi qui forte obliti sunt instruuntur, uel audiunt qui nondum fortassis audierunt. Mouet enim

Saepius repetitae expositionis utilitas.

quare dominus Jesus Christus mulieri fideli quaerenti ad corpus domini sui peruenire, quod in monumento positum non potuit inuenire, dixerit, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Si enim se tangi nolebat antequam ascendisset ad patrem, nondum utique ascenderat ad patrem, quando discipulis dicebat, Videte manus meas et pedes meos; palpate et uidete. Tangi se nolebat, qui palpari uolebat. Inde fit quaestio utique soluenda: non enim quisquam dicere audiuit, A uiris se tangi uoluit, antequam ascendisset ad patrem; mulieribus autem tunc se seruauit tangendum, cum ascendisset ad patrem. Cum ascenderet ad patrem, uel cum ascendisset ad patrem, quis eum tetigit? Tunc se seruauit tangendum mulieribus, quando nec a uiris tangi potuisset? Et tamen propter caritatem non solum tangebat eum Saulus persecutor, sed etiam uastabat in terra, quando de caelo dicebat, Saule, Saule, quid me persequeris? Dominus enim Christus et ibi est ad dexteram patris, et hic laborat in terris: ibi est, sed hic sunt membra: ibi est qui iudicaturus est uiuos et mortuos, et idem ipse hic est in suis, de quibus dicturus est, Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quid est ergo, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem? Christus melius tangitur fide quam carne: fide Christum tangere, hoc est tangere. Denique illa mulier, quae fluxum sanguinis patiebatur, accessit cum fide, et || tetigit manu uestem, fide maiestatem. Et uidete quid est tangere. Tunc dominus, qui a turbis comprimebatur, ab una tangebatur. Ait enim, Quis me tetigit? Admirati discipuli, quia undique eum multitudo conprimebat, responderunt: Turbae te conprimunt, et dicis, Quis me tetigit? Et ille, Tetigit me aliquis. Nam si te turbae premunt, non tangunt: unde te tetigit, nisi quia credidit?

Christus fide tangitur.

fol. 71

2. Et modo, fratres mei, in caelo est Iesus. Quando erat ante discipulos, secundum uisibilem carnem, secundum contrectabilem substantiam corporalem, et uisus est, et tactus est; modo autem cum sedeat ad dexteram patris, quis no-

strum eum tangere potest? Et tamen uae nobis, nisi eum fide tangamus. Omnes tangimus, qui credimus. Certe in caelo est, certe longe est, certe existimari non potest quanto interuallo spatiorum distat a nobis. Crede, et tangis. Quid dicam, tangis? Quia credis, apud te habes de quo credis. Ergo si credere tangere est, immo si tangere credere est, quid sibi uult, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum? quid est hoc? Quid quaeris carnem meam, qui nondum intellegis diuinitatem meam? Vultis nosse quomodo uolebat tangere mulier ista? Quaerebat quasi mortuum, quem resurrecturum non credebat. Tulerunt dominum meum de monumento; et plangit quasi hominem. O tangere! Quia ergo uidebat eam circa formam serui occupatam, formam dei, qua aequalis est patri, nec sapere, nec credere, nec intellegere nouerat, differt tactum, ut impleat tactum. Noli me, inquid, tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Tangis me antequam ascendam ad patrem, et in solo homine credis: quid tibi prodest, quod credis? Sine ergo ascendam ad patrem. Unde numquam recessi, tibi ascendo, si credideris aequalem patri. Non enim dominus noster Iesus Christus sic descendit a patre, ut desereret patrem: quia, et quod ascendit a nobis, non recessit a nobis. Ascensurus enim et sessurus ad dexteram patris, porro longe ait discipulis: Ecce ego uobiscum sum usque in con-
71v summationem saeculi. |

Nec, cum descendit, deseruit Patrem, nec, cum ascendit, recessit a nobis.

1 Vide Praefat. ad n. XLIV. inscriptio ex ea quae in fine legitur repetita. 2 commemoramini G. quod omni anno soletis audire] i. e. de uerbis euangelii ,Noli me tangere', de quibus et in Serm. 246, 3 Augustinus: ,Solemus uobis, inquit, inde omni anno loqui.' 8 mouet] monet G. 12 meum] Ioh. 20, 17. 15 uidete] Luc. 24, 39. 16 non enim quisquam dicere audiuit] pro audebit? cf. In Ioh. tract. 121,3: ,Quis autem tam sit absurdus, ut dicat eum a discipulis quidem, antequam ad patrem ascendisset, uoluisse se tangi, a mulieribus autem noluisse, nisi cum ascendisset ad patrem?' 18 seruabit G. 25 persequeris?] Act. 9, 4. 29 fecistis] Matth. 25, 40; quae loca de eodem argumento ambo pariter usurpantur in Serm. 239, 7. 36 tetigit?] Luc. 8, 45. ammirati G;

eundem locum Augustinus dum in tract. in Ioh. 26, n. 3 memoriter adferret, hoc ipsum uerbum, quod in euangelio non legitur, de suo addidit: ‚Et mirantes discipuli dixerunt.‘ 39 aliquis] Luc. 8, 46. 47 quando G. 49 aput. 55 resurrectorum corr. 56 monumento] Ioh. 20, 2. 59 differt] scripsi; defert G. 61 tanges. 64 si credideris aequalem patri] cf. In Ioh. tract. 121, 3: ‚Eius quippe intimis sensibus quodammodo ascendit ad patrem, qui sic in eo profecerit, ut patri agnoscat aequalem.‘ 65 discendit. 69 saeculi] Matth. 28, 20.

# DE QUINTA FERIA SANCTAE PASCHAE

De lectione euangelii hodie secundum Iohannem resurrectio domini recitata est, et audiuimus quaesitum esse dominum a discipulis, et non inuentum in sepulchro; hoc autem mulieres nuntiauerunt, non eum credentes resurrexisse, sed furto ablatum esse de sepulchro. Quod autem uenerunt duo discipuli, Iohannes ipse euangelista — ipse enim intellegitur, quem dilegebat Iesus — et cum illo Petrus, et ingressi sunt, et uiderunt linteamina sola, nullum autem corpus: quid scriptum est de ipso Iohanne? Si aduertistis, Intrauit, ait, et uidit, et credidit. Hoc quod audistis, credidit, non est fides laudata: creduntur enim et uera et falsa. Nam si fides eius laudata esset uel commendata in eo quod dictum est, uidit, et credidit, non sequeretur scriptura dicens, Nondum enim nouerat scripturas, quia oportebat Iesum resurgere a mortuis. Ergo uidit, et credidit: quid ergo credidit? quid credidit, nisi quod mulier dixerat, ablatum esse dominum de sepulchro? Dixerat enim, Tulerunt dominum de monumento, et nescio ubi posuerunt eum. Cucurrerunt illi, ingressi sunt, uiderunt linteamina sola, nullum corpus; et crediderunt eum perisse, non resurrexisse. Viderunt ablatum de sepulchro, crediderunt uiri ablatum, et abierunt. Mulier stetit, et coepit corpus Iesu lacrimis quaerere, coepit ad monumentum plorare; illi minorem curam habuerunt, fortiores sexu, sed minores affectu. Mulier plus quaerebat Iesum, quia ipsa prior

Non omnis fides laudanda.

Discipuli fortiores sexu, minores affectu.

in paradiso perdiderat Iesum: quia per illam mors intrauerat, plus uitam quaerebat. Et tamen quomodo quaerebat? Tamquam corpus mortui, non incorruptionem uiui dei; quia nec ipsa credebat, ideo in sepulchro non fuisse corpus, quia resurrexerat dominus. Ingressa uidit angelos. Ecce angeli non se ostenderunt Petro et Iohanni, et ostenderunt se 73v mulieri. Prorsus, carissimi, hoc commendatur, | quia sexus infirmior plus quaesiuit, quod prior, ut diximus, perdidit. Vident illam angeli, et dicunt: *Non est hic, resurrexit.* Adhuc illa stat et plorat, adhuc non credit: perisse dominum de sepulchro existimabat. Vidit et Iesum: non putat Iesum, hortulanum putauit, adhuc corpus mortui exigit. *Si tu,* inquit, *tulisti eum, dic mihi ubi posuisti eum, et ego tollam eum.* Quid tibi opus est, quod non amas? Mihi, inquit, detur. Quae sic quaerebat mortuum, quomodo credidit uiuum? Postea dominus appellat eam nomine suo. Maria agnouit uocem, respexit saluatorem; et ipsa illi tamquam ipsi respondit, *Rabboni,* quod *interpraetatur, Domine.*

2. Quid sibi uult quod sequitur, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum? Vade, et dic discipulis meis, Ascendam ad patrem meum et ad patrem uestrum, ad deum meum et ad deum uestrum,* hoc quidem quaestionem non habet. Ascendam ad patrem meum, quia unigenitus sum; et ad patrem uestrum, quia adoptati estis, et simul dicitis omnes, *Pater noster qui es in caelis.* Et deum meum et deum uestrum. Non sic meum, quomodo uestrum: meum enim deum, quia factus sum homo; uestrum deum, quia semper homines. Secundum hoc enim

Deus, Christi pater ante incarnationem, ab incarnatione deus Christi.

deus Christi pater, quia factus est homo; ideo est deus ipsius, deus creaturae unigeniti Verbi. Psalmum interroga: *De uentre matris meae deus meus es tu.* Ante uentrem matris, pater meus; de uentre matris, deus meus. Hoc ergo quaestionem non habet. Illud aliquantulum perturbat, propter minus intellegentes, quid sibi uelit, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. In terra illum non tangebat: cum ascendisset, tangere poterat? Quid est ergo,

Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem? Recolite, quando apparuit discipulis suis, et putauerunt eum esse spiritum, quid eis dixit? Heri lectum est. Quid turbati estis, et cogitationes quare ascendunt in cor uestrum? Videte manus meas et pedes meos: tangite, et uidete. Viris dixit, tangite, antequam ascenderet ad patrem: et mulier non tangeret, nisi cum ascendisset ad patrem? Quid est ergo, ut in ‖tellegamus? Absit a nobis, ut intellegamus. Maria ut uideret, corpus quaerebat; nos ut intellegamus, spiritum eius desideremus. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem. Quid est, Noli me tangere? Noli hoc usque credere, noli in homine figi: est aliud maius, quod non intellegis. Vides me humilem in terra: tangis me, et remanes in terra. Altiorem me tange, in altiorem me crede, in unigenitum patri aequalem crede; quando enim me intellexeris aequalem, tunc tibi ascendi ad patrem. Tangere autem corde, hoc est credere; nam et illa mulier, quae fimbriam tetigit, corde tetigit, quia credidit. Denique sentit tangentem, et non sentiebat turbam prementem. Tetigit me aliquis, ait dominus: tetigit me, credidit in me. Et discipuli non intellegentes quid sit, tetigit me, dixerunt: Turba te conprimit, et dicis, Quis me tetigit? Ego nescio quid dicam, Tetigit me aliquis? Turba premit, fides tangit. Ascendat ergo nobis Christus, et tangamus eum, si credamus in eum, quia filius dei est, aeternus, coaeternus, non ex quo natus est de uirgine, sed aeternus. Nam et nos aeternos facturus est, non quia semper fuimus, sed quia semper erimus. Ille coaeternus, patri aequalis, sine tempore, ante omnia tempora, per quem facta sunt tempora: ante diem, dies de die, qui condidit diem. Sic credite, et tetigistis. Sic tangite, ut haereatis: sic haerete, ut numquam separemini, sed cum illo permaneatis in diuinitate, qui pro nobis mortuus est in infirmitate.

Pridie lectum erat Euang. Luc. 24, 38.

fol. 74

Christus corde ac fide tangitur

1 Vide Praefat. ad n. XLVI. Titulus ex subscriptione ad calcem sermonis posita, ubi praeterea add. numerus IIII. 4 dominum] dm tractu calami superducto G. 5 sepulchro] pul s. l. suppl. 11 intrabit. credidit]

Ioh. 20, 8. 16 mortuis] ibid. 9. 20 eum] ibid. 2. 27 in paradysum. 29 incorruptione. 31 angelos] o ex u corr. 32 Iohanne. 35 resurrexit] Matth. 28, 6. 36 dominum] ut supra l. 4. 37 sepulchro] h s. l. add. 38 putabit corr. 40 eum] Ioh. 20, 15. 42 apellat. 44 ipsi] ex ipse corr. domine] Ioh. 20,16. 48 uestrum] ibid. 17. 52 caelis] Matth. 6, 9. 57 es tu] Ps. 21, 11. 67 uidete] Luc. 24, 38. 68 ascenderet] perperam corr. ascendam. 80 corde tetigit] s. l. suppl. 85 tetigit] Luc. 8, 46. 45. aliquis?] sic cum interrogandi nota. turba premit, fides tangit] cf. infra Tract. XXIV, n. 5: ‚turbae premunt, fides tangit.' 87 si] fort. pro sic? 93 haerete] scripsi; certe G.

# DE SEXTA FERIA PASCHAE I.

Locus Euang. Ioh. 21, 1 sqq. quotannis expositus.

Nouit caritas uestra lectiones istas sancti euangelii, testes resurrectionis domini anniuersaria sollemnitate celebrari. Sicut ergo memoriam renouat lectio, sic memoriam renouat lectionis expositio; hoc ergo dicturi sumus adiuuante domino, quod omni anno soletis audire. Sed si lectio renouanda est in memoriam, quae legi potest et alio tempore in euangelio; quanto magis sermo, qui non | 74v auditur nisi semel in anno? Apparuit discipulis suis dominus post resurrectionem suam ad mare Tiberiadis, et inuenit piscantes, nihil capientes. Nocte piscantes nihil ceperunt: dies inluxit, et ceperunt: quia diem Christum uiderunt, et in uerbo domini miserunt retia, ut caperent. Duas autem inuenimus piscationes factas a discipulis Christi, in uerbo Christi: primam, quando eos elegit, et apostolos fecit: alteram modo, postquam resurrexit a mortuis. Conferamus illas, si placet, et quid inter eas

Quid distet inter duas piscationes.

distet diligenter attendamus; pertinet enim ad aedificationem fidei nostrae. Prius ergo, cum piscatores inueniret dominus, quos adhuc non inuenerat, etiam per totam noctem nihil ceperunt, sine causa laborauerunt. Iussit ut retia mitterent: non dixit, in dexteram: non dixit, in sinistram: sed, Mittite, inquit, retia. Miserunt, . . . ut duas nauiculas onustarent, ita ut pene multitudine piscium mergerentur; deinde tanta erat etiam piscium multitudo, ut retia rumperentur. Sic se habuit illa piscatio: quid ergo ista? Mit-

tite, inquit, retia in dexteram partem. Ante resurrectionem passim mittuntur retia; post resurrectionem eligitur dextera. Deinde in prima piscatione nauiculae premuntur, retia rumpuntur; in ista nouissima post resurrectionem nec nauis premitur, nec sagena rumpitur. In prima piscatione numerus piscium nullus dicitur; in ista post resurrectionem numerus piscium certus dicitur. Feramus ergo primam, ut ueniamus ad nouissimam. Quid dixi, feramus primam? Ecce retia, retia uerbi, retia praedicationis, ecce retia. Dicat psalmus: Annuntiaui, et locutus sum; multiplicati sunt super numerum. Certum est, quia modo fit: annuntiatur euangelium, multiplicantur Christiani super numerum. Si omnes bene uiuerent, nauim non premerent; si hereses et schismata non diuiderentur, rete non rumperetur. Quare autem in prima piscatione nauigia duo fuerunt? Recolite, fratres: ipsi sunt duo illi parietes, circumcisio et praeputium, qui in lapide angulari || ibi con- fol. 75 ueniunt, et osculum pacis inueniunt. In nouissima autem piscatione perfecta unitas; dextera est enim, nihil habet sinistrum. Ipsa est ecclesia sancta, quae modo in paucis est laborantibus inter multos malos: ipsa erit in certo illo numero et definito, ubi iam nullus inuenitur peccator: dextera est enim, nihil habet sinistrum. Et magni pisces erunt: quia omnes inmortales erunt, omnes sine fine uicturi sunt. Quid tam magnum, quam quod non habet finem? Et pertinuit ad euangelistam, renouaueris in memoriam primam piscationem. Quare enim addidit, Et cum tam magni pisces essent, retia non sunt discissa? Tamquam diceret: recolite illam primam piscationem, ubi retia sunt scissa. Hic regnum caelorum erit, nullus hereticus latrabit, nullus schismaticus se separabit: omnes intus erunt, in pace erunt.

2. Et omnes, quot erunt? centum quinquaginta tres erunt? Absit, absit a nobis, ut uel in isto populo, qui hic ante me stant, tam paucos dicam esse, qui in regno caelorum futuri sunt, ubi milia, innumerabilia milia, quae uidit Iohannes induta stolis albis. Hoc dixit: Ex omni tribu et

lingua ueniebant, numerus quem numerare nemo potest. Quid sibi ergo uult numerus iste? Alios doceo, alios commoneo: qui non audierunt, discant: qui audierunt et obliti sunt, recolant: qui tenent, in memoriam, quod audierunt, me commemorante firmentur. Numeri huius ratio ad decem et septem incipit: signaculum est omnium sanctorum, omnium fidelium, omnium iustorum in regno caelorum futurorum. Decem et septem: decem propter legem, septem propter spiritum gratiae. Inpone legem: nemo facit, nemo

Quid sibi uelit numerus piscium.

implet. Adde adiutorium spiritus: fit quod iubetur, quia deus adiuuat. Quid ait lex? Non concupisces. Occasione accepta peccatum per mandatum fefellit me, inquid, et per illud occidit; et lex subintrauit, ut abundaret delictum. Adde spiritum: Plenitudo legis, caritas. Sed unde caritas? Caritas dei diffusa est in cordibus no-
75v stris per spiritum sanctum, qui datus |est nobis. Septenario autem numero spiritum commendari nouit, qui legit: sed audiat, qui neglegenter legit, aut forte qui legere non potest. Spiritum sanctum sic commendat deus per Isaiam prophetam: Spiritus, dicit, sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis, spiritus timoris dei. Iste est septiformis spiritus, qui etiam

Septiformis spiritus super baptizatos inuocatus.

super baptizatos inuocatur. Lex, decalogus est: decem enim praecepta scripta erant in tabulis, sed adhuc lapideis, propter duritiam Iudaeorum. Postea quam uenit spiritus, quid ait apostolus? Epistula nostra uos estis scripta, non atramento, sed spiritu dei uiui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Tolle spiritum, occidit littera; quia reum facit, non liberat peccatorem. Propter hoc apostolus: Neque enim, inquit, idonei sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex deo est, qui et idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Litera enim occidit, spiritus uero uiuificat. Iunge ergo septem ad decem, si uis inplere iustitiam. Quando aliquid facere per legem iuberis, roga spiritum, ut adiuuet.

3. Commendauimus decem et septem: sed quam longe sunt a centum quinquaginta tribus! Multi tamen sciunt quod dicturi sumus: qui sciunt, ferant moras. Quando duo ambulant in uia, unus uelox, et unus tardus, in potestate uelocis est, ut simul ambulent, si expectet ad illum. Ergo qui scit quod dicturus sum, uelox est; sed expectet tardum comitem, donec et ipse instruatur de decem et septem. Fiunt centum quinquaginta tres, si ipsi decem et septem sic numerantur, ut ab uno incipias, et omnes addas, quo usque ad decem et septem peruenias. Si enim incipias dicere, Unum, duo, tria, quatuor, peruenis ad decem, et non inuenturus es in manu tua nisi decem. Si autem sic numeres: unum et duo, iam tres sunt: et tria, iam sex sunt: et quatuor, iam decem sunt: et quinque, iam quindecim sunt: et sex, iam uiginti unum sunt: et septem, iam uiginti || octo sunt: et fol. 76 octo, iam triginta sex sunt: et nouem, iam quadraginta quinque fiunt: et decem, iam quinquaginta quinque sunt. Ecce iam proximi sumus, et spes est perueniendi, quia tantum accessimus. Adde ergo undecim, fiunt sexaginta sex: adde duodecim, fiunt septuaginta octo: adde tredecim, fiunt nonaginta unum: adde et quatuordecim, fiunt centum quinque. Iam et tardi secuntur ueloces. Adde ergo et quindecim, fiunt centum uiginti: adde sedecim, fiunt centum triginta sex: adde decem et septem, fiunt centum quinquaginta tres. Ibi ergo erunt omnes qui currunt ad decem et septem, qui faciunt legem dei, adiuuante spiritu dei.

1 Vide Praefat. ad n. XLVII. PASCHAE. I.] ita in fine sermo subscribitur. 2 euangilii G. 11 tyberiadis. 22 metterent. 23 retia] Luc. 5, 4. miserunt] aliquid hic desideratur, ut puta ,et tantum ceperunt', quemadmodum in eiusdem argumenti Serm. 250, 2 legere est. 24 honostarent corr. 25 rumperentur] Luc. 5, 7. 6. 27 partem] Ioh. 21, 6. 32 numerus] s ex m corr. 37 numerum] Ps. 39, 6; eadem ratione uersum interpretatur Augustinus Serm. 248, n. 3; 250, n. 3; 251 n. 2. 40 scismata. 42 ille. 51 quid tam] quid dam G; cf. supra Tract. XI, l. 140 sq. ,cogidare'. et pertinuit ad euangelistam] August. Serm. 249, 1: ,Et quoniam in illa prima piscatione dictum erat quia prae multi-

tudine piscium retia rumpebantur, pertinuit ad curam euangelistae in ista piscatione dicere, Et cum tam magni essent, non est scissum rete.‘ 52 renouaberis immemoriam G. 54 discissa] Ioh. 21, 11. 57 scismaticus. seperabit. 58 quot] quod G. 59 absit] 2 loco s. l. suppl. 60 stant] ita plurali numero. 61 ubi milia] emendaui; ubi nulla G. 63 potest] Apoc. 7, 9. 67 legendumne a decem? 73 adiuuet G. concupisces] Rom. 7, 7. 75 occidit] ibid. 11. 76 delictum] Rom. 5, 20. caritas] Rom. 13, 10. 78 nobis] Rom. 5, 5. 82 spiritum G. 84 dei] Esai. 11, 2. 3. 85 super baptizatos inuocatur] Haec refer ad preces sollemnes, quibus episcopi, dum confirmationis sacramentum administrant, etiam nunc utuntur, de quibus et Augustinus Serm. 249, 3: ‚Sicut enim lex decalogo significatur, ita spiritus sanctus septiformis ostenditur. Ipse inuocatur super baptizatos, ut det illis deus secundum prophetam spiritum sapientiae et intellectus: ecce duo; spiritum consilii et fortitudinis: ecce quattuor; spiritum scientiae et pietatis: ecce sex; spiritum timoris domini: ecce septem.‘ 88 apostolis G. 90 carnalibus] II Cor. 3, 2. 3. 96 uiuificat] ibid. 5. 6. 98 rogas G. 99 commendabimus. 100 sint. quod] scripsi, quid G; cf. infra l. 104 ‚qui scit quod dicturus sum.‘ 101 moras] mores G. Quando duo ambulant in uia] etc. cf. Enarr. in Ps. 90, serm. 2, n. 1: ‚Quando autem duo comites unam uiam ambulant, quorum est unus celerior, alter tardior, in potestate celerioris est, ut cum illo ambulet tardior, non in potestate tardioris: quia si uelit celerior tantum facere, quantum potest, tardior illum non sequitur. Opus est ergo, ut celerior refrenet celeritatem suam, et non relinquat comitem tardiorem.‘ Item Serm. 250, 3, ubi de ipsis centum quinquaginta tribus agitur: ‚Multi obliti sunt, aliqui nec audierunt: qui autem non sunt obliti et audierunt, patienter ferant, ut alii commemorentur et instruantur. Quando duo ambulant in uia, unus celerior et alter tardior, in potestate celerioris est, ut comes non deseratur‘ etc. 106 centum quinquaginta tres] bis scripsit amanuensis. sic] bis quoque scriptum. 115 fiunt] hoc loco tantum, sunt in ceteris membris usque octies.

# DE SABBATO OCTAVARUM SANCTAE PASCHAE

Ecce dominus iterum post resurrectionem apparens discipulis interrogat apostolum Petrum; et conpellit ter confiteri amorem, qui ter negauerat per timorem. Resurrexit carne Christus, et spiritu Petrus: quia cum moreretur patiendo Christus, mortuus erat ne-

gando Petrus. Resuscitatur a mortuis dominus Christus: resuscitauit de amore suo Petrum. Interrogauit confitentis amorem, et ei oues suas commendauit. Quid enim Petrus praestaret Christo, in eo quod amabat Christum? Si amet te Christus, tibi prodest, non Christo; et si ames Christum, tibi prodest, non Christo. Volens tamen dominus Christus ostendere, ubi homines debeant ostendere quia amant Christum, in suis ouibus commendauit, satis euidenter aperuit. Amas me? Amo. Pasce oues meas. Hoc semel, hoc secundo, hoc tertio. Nihil aliud ille respondit, quam amare se: nihil aliud dominus interrogat, utrum amaret eum: nihil aliud respondenti commendauit, nisi oues suas. Amemus nos, et Christum | amamus. Christus enim, deus semper, 80v homo ex tempore natus est. Ut homo de homine, apparuit homo hominibus; fecit multa mirabilia, ut deus in homine. Passus est multa mala, ut homo ab hominibus; resurrexit post mortem, ut deus in homine. Conuersatus est in terra quadraginta diebus, ut homo cum hominibus; ante oculos eorum ascendit in caelum, ut deus in homine, sedet ad dexteram patris. Totum hoc credimus, non uidemus: et iubemur amare dominum Christum, quem non uidemus: et omnes clamamus, et dicimus, Amo Christum. Si fratrem, quem uides, non diligis, deum, quem non uides, quomodo diligere potes? Amando oues, ostende amorem habere pastoris; nam et ipsae oues membra sunt pastoris. Ut membra eius essent oues, ouis esse dignatus est: ut membra eius essent oues, sicut ouis ad immolandum ductus est: ut membra eius essent oues, de illo dictum est, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed magna in isto agno fortitudo. Vis nosse, quanta apparuit in isto agno fortitudo? Crucifixus est agnus, et uictus est leo. Videte et considerate, qua uirtute dominus Christus mundum regit, qui morte sua diabolum uicit.

Amando oues Christi ostendunt homines quantum ament Christum.

2. Amemus ergo illum, nihil nobis sit eo carius. Putatis ergo quia nos non interrogat dominus? Petrus solus meruit interrogari, et non nos? Quando illa lectio legitur, unus-

quisque Christianus interrogatur in corde suo. Quando ergo audis dominum dicentem, Petre amas me? speculum puta, et attende ibi te.

*Petrus figura ecclesiae.*

Nam quid aliud ipse Petrus quam figuram gerebat ecclesiae? Dominus ergo quando Petrum interrogabat, nos interrogabat, ecclesiam interrogabat. Nam ut sciatis Petrum figuram ecclesiae portasse, locum illum euangelii recolite: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; et portae inferorum non uincent eam; tibi dabo claues regni caelorum. Unus homo accipit. Quae sint enim claues regni caelorum, ipse exposuit: Quae ligaueritis in terra, erunt ligata et in caelo; et quae solueritis in terra, soluta erunt et in caelo. Si fol. 81 uni Petro dictum est, solus hoc fecit Petrus: obiit, || et abiit;

*Obeunte Petro non defecit potestas clauium.*

quis ergo ligat, quis soluit? Audeo dicere, claues istas habemus et nos. Et quid dicam? Quia nos ligamus, nos soluimus? Ligatis et uos, soluitis et uos. Qui enim ligatur, a uestro consortio separatur: et cum a uestro consortio separatur, a uobis ligatur: et quando reconciliatur, a uobis soluitur, quia et a uobis deus pro illo rogatur.

*Oratio fidelium pro reconcilliandis paenitentibus.*

3. Omnes enim Christum amamus, membra ipsius sumus; et cum ille commendat oues pastoribus, redigitur totus numerus pastorum ad corpus unius pastoris. Nam ut noueritis omnem numerum pastorum redigi ad unum corpus unius pastoris, certe pastor Petrus, plane pastor: pastor Paulus, ita sane pastor: Iohannes pastor, Iacobus pastor, Andreas pastor, et ceteri apostoli pastores. Omnes sancti episcopi sunt certe pastores, ita plane. Et quomodo uerum est, Et erit unus grex et unus pastor? Porro si uerum est, Erit unus grex et unus pastor, omnis innumerabilis pastorum numerus ad corpus unius pastoris redigitur. Sed ibi estis et uos, membra ipsius estis. Ipsa membra conculcabat, quando caput pro suis membris clamabat, Saulus ille ante persecutor, postea praedicator, anhelans caedem, differens fidem. Una uoce prostratus est totus eius impetus. Qua uoce? Saule, Saule, quid me persequeris? Numquid Saulus uel lapidem posset mittere ad caelum, ubi sedet Iesus? Esto fuerit

*Innumerabilis pastorum numerus ad unum corpus unius pastoris redigitur.*

Saulus in turba, quando Iesus pendebat in ligno. Esto dixerit et Saulus cum turba, Crucifige, crucifige; et fuerit inter illos, qui caput agitabant insultando, et dicebant, Si filius dei est, descendat de cruce. Sedenti in caelo quid faceret? quid noceret uerbum? quid noceret clamor? quid noceret lignum? quid noceret lancea? Nihil ei iam fieri poterat, et tamen clamabat, Me persequeris. Quando clamabat, Me persequeris, membra sua nos esse indicabat. Amor itaque Christi, quem amamus in uobis: amor Christi, quem uos quoque amatis in nobis, inter temtationes, inter labores, inter sudores, inter sollicitudines, inter miserias, inter | gemitus, perducet nos, ubi nullus est labor, nulla mi- 81v
seria, nullus gemitus, nullum suspirium, nulla molestia, nemo nascitur, nemo moritur, nemo timet iram potentis, haerendo uultui omnipotentis.

Nemo timet iram potentis, haerendo uultui omnipotentis.

1 Vide Praefat. ad n. L. PASCHAE] ex subscriptione ad calcem posita, ubi et additur numerus II. 8 resuscitabit corr. 9 quid e. Petrus praestaret Christo etc.] cf. infra Tract. XVII, l. 72, itemque Serm. 253, 2: ,Quid mihi praestas, quia diligis me...? Sed dilectionem tuam erga me habes ubi ostendas, habes ubi exerceas: pasce agnos meos'; item in tractatu ex nostris XXXI, n. 3: ,Quid mihi praestaturus es amando me, quando omnia expectas a me? Quid ergo facies amando me, habes: pasce oues meas.' 15 meas] Ioh. 21, 15—17. 30 potes] I Ioh. 4, 20. 31 sqq. menbra. 33 ductus est] Esai. 53, 7. 35 agnus] ex annus corr. mundi] Ioh. 1, 29. 45 te] post. eras. 51 caelorum] Matth. 16, 18. 19. 54 in caelo] ibid. 19. 61 quia et a uobis deus pro illo rogatur] scilicet solebant ea aetate fideles pro paenitentibus et excommunicatis deum publice exorare: qua de re lege ,Anecdota Maredsolana' t. I, p. 121; L. Duchesne, ,Origines du culte chrétien', 4 edit., p. 450 sqq. 64 ad corpus unius pastoris] cf. Serm. 147, 2: ,In uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum'; Serm. 138, 3: ,Hanc dominus unitatem commendans pastoribus bonis, noluit multos appellare pastores. Neque enim, ut dixi, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, apostoli ceteri.' 70 pastor] Ioh. 10, 16. 77 persequeris?] Act. 9, 4. 80 crucifige] Luc. 23, 21 et al. 82 de cruce] exemplum ex Matth. 27, 40 et 42 conflatum: cf. Tract. I, l. 27 itemque infra Tract. XXII, n. 2; XXXII, 5.

# DE SABBATO OCTAVARUM SANCTAE PASCHAE

Audistis apostoli Petri domino interrogante confessionem, cuius audieratis negationem ancilla terrente. Dictum enim erat praesumenti, Negabis me; dictum est diligenti, Amas me? Ut enim titubaret apostolus Petrus, praesumsit de uiribus animi sui. Iam uero olim dixerat psalmus: Qui confidnnt in uirtute sua... Factus ergo erat Petrus tamquam ille, de quo cantatur in psalmis: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in aeternum. In abundantia sua dixerat Christo, Tecum usque ad mortem; in abundantia sua dixerat, Non mouebor in aeternum. Dominus tamen tamquam medicus artifex, quid in infirmo ageretur, melius nouerat, quam ipse infirmus. Faciunt hoc medici in ualitudinibus corporum, quod dominus potest etiam in ualitudinibus animarum. Nam quid tibi uidetur, rogo te, ut expectet aeger a medico audire quid in illo agatur? Ipse enim dolores quos patitur potest nosse; utrum autem periculosi sint, et quas causas habeant, utrum
Christus medicus animarum.
inde possit aut non possit euadere, medicus uenam inspicit, et quid in aegroto agatur ipse aegroto renuntiat. Quando ergo dominus beato Petro Ter me negabis dicebat, uenam cordis eius tangebat. Ecce factum est quod praedixit medicus, et falsum inuentum est quod praesumsit aegrotus. Ibi enim in eodem psalmo sequitur spiritus sanctus. Dixit: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in aeternum, quasi praesumens de uiribus animi sui. Continuo subiecit: Domine, in uoluntate tua praestitisti decori meo uirtutem. Auertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus. Quid dixit? Quod habebam, abs te habebam, et
fol. 82
a me esse credebam. Auertisti faciem tuam, || tulisti quod dederas; et factus sum conturbatus. Inueni qui eram, quia tu recesseras. Dominus ergo Petrum, ut salubriter humilem faceret, ad tempus deseruit: tamen quando illum respexit, tunc fleuit. Sic enim habes in euangelio: postea

quam ter negauit, et impletum est quod praedixerat dominus, quid scriptum est? Respexit eum dominus, et recordatus est Petrus. Si dominus non respexisset, totum Petrus oblitus fuisset. Respexit eum dominus, et recordatus est Petrus, quia dixerat ei Iesus, Antequam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amare. Opus erat ergo Petro ad abluendum negationis peccatum baptismo lacrimarum: sed unde hoc haberet, nisi et hoc dominus daret? Ideo apostolus Paulus cum quibusdam diuersa sentientibus ammoneret populum, quemadmodum cum illis agere deberent, ait: In lenitate corripientes diuersa sentientes, ne forte det illis deus paenitentiam. Ergo et paenitentia donum dei est. Dura terra est superbientis cor: ad paenitentiam non mollescit, nisi dei gratia conpluatur.

Et lacrimae et paenitentia dona Dei sunt.

2. Modo ergo iam post domini resurrectionem interrogatur Petrus: elicitur confessio, praedicitur passio: inuenitur in caritate, firmatur in uirtute. Dicit ei dominus iam post resurrectionem: Petre, diligis me plus his? Tu qui negasti me, diligis me? Iam satis tibi factum est: uiuum uides, quem morientem uidisti, quando mori timuisti. Ecce uiuo, ecce ego sum: quare mori timuisti? Quando me negasti, utique me non perdidisti. Ergo diligis me? quia ego sum. Et ille: Domine, etiam, tu scis quia amo te. Quid me interrogas quod scis? Sciebas, quando mihi negaturum me praedicebas. Quod ego nesciebam in me, sciebas: et quod scio, nescis? Video enim in corde meo, quia amo te, sed uides et tu: non enim non uides praesentem amorem, qui uidisti futurum timorem. Et iterum dominus scit, et interrogat; et iterum hoc ipsum interrogante illo, hoc ipsum Petrus respondit. Et interrogat dominus tertio, ut trinam negationem deleret trina confessio. Congratulemur apostolo: mortuus erat, | et reuixit: perierat, et inuentus est. 82v

Apostoli negatio trina confessione deleta.

3. Armatur ad potiora adque maiora: dicitur ei, Pasce oues meas; ubi utique erat periclitaturus in carne, glorificandus in spiritu. Nam pascendo oues Christi, quanta erat

pro nomine Christi passurus! Pasce oues meas, pasce agnos meos. Nam mihi quid praestaturus es, si amas me? Constituit pastorem princeps pastorum, ut pasceret oues Christi Petrus, non suas. Nam quidam, qui uoluerunt esse docti apostolorum, reuocantur ab ipsis apostolis ad integrum sensum. Oues enim Christi erant, et hominum esse cupiebant; et alii dicebant, Ego sum Pauli, ego uero Apollo, ego autem Cefae. Erant ibi oues, qui dominum agnoscebant: Ego uero Christi. Paulus autem sciens, quia suas oues Christus apostolis commendauit, non illius, reppulit a se huiusmodi dominationem: confitetur se non esse dominum, ut sit cum domino. Numquid Paulus pro uobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Ipsius oues estis, nescitis cuius oues estis; caracterem legite, in quo signati estis. Pasce oues meas. Quare? Quia amas me, quia diligis me, committo tibi oues meas: pasce, sed memento meas. Principes autem heresum suas oues uolunt facere, quae sunt Christi; sed tamen, uelint, nolint, caracterem Christi coguntur inponere: facere peculium suum, et inscribere nomen dominicum. Sed quid dicit talibus diuina scriptura in Canticis canticorum? Appellat enim sponsus sponsam Christus ecclesiam, et dicit: Nisi cognoueris temet ipsam, o pulchra inter mulieres. Quid est, pulchra inter mulieres? Catholica inter hereses. Attendite quemadmodum comminatur. Nisi cognoueris temet ipsam, cuius sis, quid credas, ad quem pertineas, quam longe lateque diffusa sis, cuius sanguine redemta sis; nisi cognoueris temet ipsam, o pulchra inter mulieres, nisi cognoueris temet ipsam, ego eicio te, exi tu. Quid est, exi tu? Quod Iohannes dicit in epistula sua: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Exi tu in uestigiis gregum: non in uestigiis pastoris, sed in uestigiis gregum: sequendo
fol. 83 uestigia || hominum, non Christum. Et pasce hedos tuos: non, sicut Petrus, oues meas. Et ubi pasce hedos tuos? In tabernaculis pastorum: diuisa in tabernaculis pastorum, non tabernaculo pastoris. Habeo alias oues, quae

Pascit oues Christi Petrus, non suas.

non sunt de hoc ouile: oportet me eas adducere, et uocem meam audient; et erit unus grex, et unus pastor.

4. Nuntio ergo caritati uestrae, hesterna die non frustra nos fuisse seueros: acrimonia disciplinae lucrati sumus. Unus ex illis quatuor hodie heresem Arrianorum et Eunomianorum cum ipso Arrio et Eunomio anathemauit, catholicus factus est. Itaque quem hesterna die ostendimus cauendum, hodie ostendimus diligendum. Ergo commendo eum uobis, quem iam gaudentes, non suspicientes, uideatis. Commendo etiam ut pro ceteris oretis.

Nuntiat Augustinus unum ex quatuor Eunomianis factum esse catholicum.

1 Vide Praefat. ad n. LI. PASCHAE] titulum, qui in fine addito numero III legitur, in fronte posui. 7 sua] Ps. 48, 7. 9 sq. habundantia. 10 aeternum] Ps. 29, 7. 11 mortem] Luc. 22, 33 qui locus ita digestus Augustino peculiaris est: cf. Enarr. in Ps. 36, serm. 1, n. 1; Tract. 11 in Ioh., n. 2; et ex nostris infra Tract. XXXII, n. 8. 18 periculosae G. 19 medicus uenam inspicit] cf. iterum infra Tract. 32, n. 8: ‚aeger se nesciebat, sed medicum non latebat. Dixit, praesumsit, ausus est polliceri: Tecum usque ad mortem; animam meam pro te ponam. Et ille medicus uenam cordis inspiciens‘ etc. 21 negabis] Matth. 26, 34. 24 dixit] ex et dixit corr. 25 dixi]t in fine eras. 25 habundantia. 28 conturbatus] Ps. 29, 8. 36 quid] quod G. omissa post ‚scriptum est‘ interrog. nota. 41 amare] Luc. 22, 61. 62. 44 quem ammodum. 46 paenitentiam] II Tim. 2, 25. 53 plus his?] Ioh. 21, 15. 58 amo te] ibid. 66 trina confessio] cf. Tract. 123 in Ioh., n. 3: ‚Redditur negationi trinae trina confessio‘; Serm. 138, 4: ‚ut trina confessione amoris deleret trinum peccatum negationis‘ et al. 67 inuentus est] Luc. 15, 24 et 32. 68 armatur] u ex o corr. 70 in spiritus. 72 meos] Ioh. 21, 15 sqq. praestaturus es] cf. adnot. criticam ad Tract. XVI, l. 9. 74 non] sed ante hanc particulam eras. 78 oues, qui] ita G, de quo genere alia exempla nota sunt. 79 Christi] I Cor. 1, 12. 80 illius] scripsi; illis G. 83 estis?] I Cor. 1, 13. 89 facere peculium suum] cf. Serm. 146, 2: ‚Numquid enim peculium nostrum estis? Haeretici et schismatici de furtis dominicis peculia sibi fecerunt... Plane in ipsis depraedationibus suis titulum ipsius posuerunt‘ etc. 90 talibus] conieci; tabulis G. 92 sponsa. 95 quem ammodum. 101 ex nobis] I Ioh. 2, 19. 103 Christum] pro Christi? 104 non sicut Petrus, oues meas] cf. Serm. 146, 2: ‚Exclusis autem quid dixit in Canticis canticorum? Ad ecclesiam loquens, sponsus ad sponsam, ait: Nisi cognoueris temetipsam, pulchra inter mulieres . . . exi

tu in uestigiis gregum, non in societate gregis; et pasce haedos tuos, non quomodo Petro dictum est, oues meas' etc. 108 audiunt. pastor] Ioh. 10, 16. 109. 113 hesterna] externa G. 110 acrimonia] scripsi; carimonia G. 112 anathemabit. 115 suspicientes] conieci; suscipientem G.

# DE DOMINICO DIE OCTAVARUM SANCTAE PASCHAE

Primo die dominico agnoscit caritas uestra, hoc est, ante istos octo dies hoc nos domino cantasse, quod hodie: Hic est dies, quem fecit dominus. Quis enim est dies, quem <non> fecit dominus? Sed per nomen diei commendare uolebat spiritus dei praecipuum quoddam opus dei. Quid autem melius in omnibus operibus dei, quam homo fidelis? Sicut enim et illo die uobis commemorauimus, in primis operibus mundi, dixit deus, Fiat lux, et facta est lux. Et diuisit deus inter lucem et tenebras; et lucem uocauit diem, et tenebras noctem. Si ergo lucem uocauit diem, sine dubio illi, quibus dicit apostolus, Fuistis aliquando tenebrae, nun<c> autem lux in domino, dies sunt. Omnes sancti, omnes fideles, ac per hoc omnes iusti — quia iustus ex fide uiuit — simul omnes in unitate concordissima dies sunt; et ipsa omnium unitas unus est dies. Quomodo enim non dies unus, de quo dicitur in Actibus apostolorum, Erat illis anima una et cor unum in domino? Diuisit plane deus etiam hominibus inter diem et noctem, inter lucem et tenebras: luci daturus aeternitatem, tenebris damnationem. Nondum apparet modo, sed deus iam diuisit. Viuit homo male, et forte in

Optimum Dei opus, homo fidelis.

83v praedestinatione dei lux est: et uiuit alter bene, et | forte in praedestinatione nox est. Ideo autem deus diuisit, et ipsam diuisionem occultam apud se habet, ne superbiat dies, et fiat nox. Sunt enim quidam, qui suae uirtuti uolunt tribuere quod iusti sunt, et corde tartareo atque ore sacrilego audent dicere: Deus nos homines fecit, iustos autem ipsi nos facimus. Si iustos ipsi se faciunt, non est iste dies quem fecit domi-

In praedestinatione Dei lux et tenebrae iam diuisae.

nus. Dicat ergo fidelis, et ex tenebris factus lux, cui dicit apostolus, Fuistis aliquando tenebrae, nun<c> autem lux in domino; dicat cum ipso apostolo: Non sum dignus uocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiam dei. Ecce nox, ecce tenebrae. Quando persequebatur ecclesiam dei, tenebrae erant super abyssum. Vocauit eum dominus desuper: Saule, Saule, quid me persequeris? Elisae sunt tenebrae, surrexit lux; coepit praedicare quem persequebatur, et dixit: Non sum dignus uocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiam dei. Unde tibi ergo quod es? Gratia dei sum quod sum. Hic est dies quem fecit Dominus.

Sicut nos homines, ita iustos Deus facit.

2. Alloquor itaque uos, unus dies, infantes male nati ex Adam, bene renati in Christo. Videte quia dies estis, uidete quia fecit uos dominus. Fugauit a cordibus uestris tenebras peccatorum, innouauit uitam uestram. Miscendi estis hodie numero populorum: eligite quos imitemini, nolite uobis eligere perditos, cum quibus pereatis. Nolite dicere: Quare, iste non fidelis est? et inebriatur. Quare, iste non fidelis est? et habet uxorem, habet et concubinam. Quare, iste non fidelis est? et cottidie pro lucris mendacium iurat. Quare, iste non fidelis est? et pecuniam suam dat in usuram. Quare, iste non fidelis est? et pythonissam interrogat. Quare, iste non fidelis est? et quando illi caput dolet, caracteres sibi ad collum ligat; et qui non uult mori, ad collum sibi ligat. Si ista dixeritis, peritis. Contestor uobis coram deo et angelis eius: quod nostrum fuit, dedimus: quod accepimus, nec nos dedimus, sed per nos datum est. Pecunia dominica est: praerogatores sumus, non largitores. Dominum communem habemus, cibaria conseruis metimur: de ipso horreo || et nos uiuimus. <Non> nostri sumus, sed fol. 84 eius qui pro nobis pretium sanguinem suum <fudit>. Simul redempti sumus, unum pretium omnes habemus: frumentum nostrum est sanctum euangelium. Fratres nos fecit de seruis, qui redemit: coheredes nos unicus fecit. Unus erat, et fratres habere dignatus est: nolite obliuisci istam dignatio-

Neophyti miscendi numero populorum eligant quos imitentur.

nem, carissimi. Fideles uocamini, fideliter uiuite: domino uestro in corde et moribus uestris fidem seruate. Nolite uos commiscere moribus malis in turba christianorum malorum. Videte quod dico: grana estote. Palea abundat in area, sed uentura est uentilatio, separabitur palea: neque una stipula tecum intrat in horreum, neque unum granum uadit in ignem. Nouit separare, qui potuit congregare: erras, si dominum errare putas. Nouit uos, qui creauit uos, et recreauit uos; si enim tantum creasset, et non <re>creasset, intr<ar>etis in massam perditionis. Numquid dico uobis, fratres mei, quia non poteritis inuenire christianos bene uiuentes? Absit, ut hoc sentiam de area domini mei. Si hoc ita est, ut quid laboro? Videte bonos, quos imitemini: estote, et inuenietis. Si autem mali esse coeperitis, omnes malos esse credetis: et mendacium est, fallimini. Longe

Quam multi sint boni Christiani, non nisi a bonis agnoscitur.

attenditis aream, ideo sola palea uobis occurrit: accedite, quaerite, manum implete, oris iudicium adhibete; excutitur inde totum quod uolat, et remanet quod graue est. Inuenietis bonos christianos, credite mihi: bonos coniugatos, exhibentes fidem uxoribus suis: bonas feminas coniugatas, exhibentes fidem maritis suis. Quaerite, et inuenietis: estote, et non uos latebit. Simile ad simile occurrit. Granum es? applicas te ad granum. Palea es? applicas te ad paleam. Inuenietis qui non dant pecuniam suam ad usuram, inuenietis qui plus oderunt fraudem quam damnum: inuenietis istos. Incipite esse, et uidetis quam multi sunt. Pauci sunt, sed in comparatione multorum. Ventilat<ur>, et massa est. Ventilaturus est ille, qui fert uentilabrum in manu sua.

3. Modo, carissimi, et alloquor, qui esti<s> fideles olim baptizati, anno priore baptizati, superioribus annis baptizati, et uos alloquor: per ipsam | [84v] uiam ite, qua non pereatis,

Ad fideles olim baptizatos.

si isti sequi uoluerint. Ad uestrum enim iudicium pertinebit, si cum uestris moribus malis et peritis, et perditis.

1 Vide Praefat. ad n. LII. PASCHAE ex inscriptione ad calcem posita. 4 dominus] Ps. 117, 24. 5 non] quod in G desideratur ego suppleui.

6 diei] ex domini emendaui; cf. infra Tract. XXX, n. 1: ,Fugit te dies amatus, accedit deus desideratus.' 11 noctem] Gen. 1, 3. 4. 5. 12 illi]s in fine eras. 13 nunc] nun G. 14 domino] Eph. 5, 8. 15 uiuit] Rom. 1, 17. 19 domino] Act. 4, 32. 25 aput. 26 sue s. l. ex sua corr. 26 uirtute. 31 nun. 33 dei] I Cor. 15, 9. 35 abyssum] Gen. 1, 2. 35 uocabit. 36 persequeris?] Act. 9, 4. 44 fugabit ... innouabit. 45 miscendi estis hodie numero populorum] cf. Serm. 260, 1: ,qui hodie miscendi sunt populo' et subscriptionem eiusdem Serm. in G: ,quando infantes miscendi sunt populo dei'; item Serm. 224, 1: ,Hodierno die baptizati in Christo et regenerati uniuerso populo dei celebrata sacramentorum sollemnitate miscendi sunt.' 52 phytonissam. 57 sed] postea mut. in quod, uereor ut recte. 59 metemur. 60 non] in G omissum ego suppleui. 61 praecium saguinem suum G; fudit ex coniectura suppleui. 63 fratres] ex frater s. l. corr. fratres nos fecit de seruis] cf. breuem allocutionem de s. Eolalia (Études, Textes, Découuertes, t. I, p. 307, l. 13 sq): ,Fecit... de seruis fratres.' 74 recreabit. et non creasset. 75 intretis. 84 bonos christ.] s. l. corr. ex bonus. 87 ad simile] m in fine eras. 88 aplicate ad granum. paleas (s. l. corr. paleam, deinde palea) applicas te a. p. G. 91 uidetis] pro uidebitis? 92 uentilat. 93 sua] Matth. 3, 12. 94 esti. 96 ipsam] ex ipsum corr. 98 malos.

# DE DOMINICO OCTAVARUM SANCTAE PASCHAE

Beati apostoli cum mirabilia facerent et sanitates in nomine Christi, zelo impleti Iudaei prohibuerunt illos loqui in eius nomine, qui elegerat eos, et ut tales essent donauerat eis. Responderunt autem dicentes: Si iustum est coram deo uobis magis oboedire quam deo, hoc iudicate; non enim possumus quae uidimus et audiuimus non loqui. Professi sunt se testes Christi; testes autem qui dicuntur latine, graece martyres uocantur. Dicentes ergo, Non possumus nisi quae uidimus et audiuimus loqui, contemserunt hominum prohibitionem, ut haberent dei benedictionem. Illi uiderunt et audierunt: nos quid? Debemus et nos praedicare. Sed non uidimus. Certe quod audiuimus praedicemus; quia dicit apostolus: Igitur fides

Exemplo apostolorum debemus et nos praedicare.

ex auditu; auditus autem per uerbum Christi. Christum dominum in carne uidit Iudaea, gentes non uiderunt; et tamen non uidentes audierunt et crediderunt, uidentes contemserunt et occiderunt. Nos ergo eramus audituri, non fol. 53 uisuri; serua ‖ tur autem nobis uisio, ut quod modo credimus, in fine saeculi uideamus. Nos ergo praeuidebat ipse dominus, quando in prophetia dicebat: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi; quem cognoui restitit mihi, quem non cognoui seruiuit mihi. Unde autem tibi seruiuit populus quem non cognouisti, id est, cui praesentiam carnis tuae non exhibuisti, quorum oculis cicatrices tuas post resurrectionem non ostendisti, unde tibi seruiuit? Sequere, et audis: In obauditu auris obaudiuit mihi.

Quisque ubi potest praedicet, et martyr est.

2. Dicite ergo et uos: Non possumus quod audiuimus non loqui et praedicare dominum Christum. Quisque ubi potest praedicet, et martyr est. Aliquando autem homo non patitur persecutionem, et timet confusionem. Contigit illi conuiuari, uerbi gratia, inter paganos, et erubescit se dici Christianum. Si expauescit conuiuatorem, quomodo potest contemnere persecutorem? Praedicate ergo Christum, ubi potueritis, quibus potueritis, quomodo potueritis. Exigitur a uobis fides, non eloquentia: fides de uobis loquatur, et Christus loquitur. Si enim est in uobis fides, habitat in uobis Christus. Audistis psalmum: Credidi, propter quod locutus sum. Non potuit credere, et obmutescere.

Ingratus est implenti, qui non fundit.

Ingratus est implenti, qui non fundit: quo quisque ergo impletus fuerit, debet fundere. Talis enim in illo nascitur fons, qui fundere nouit, siccare non nouit: Fiet in eo fons aquae salientis in uitam aeternam. Securi enim praedicatis, quia non mentimini de fonte ueritatis: accepistis, quod in lingua ructatis. Nam si de uestro dicere uolueritis, mendaces eritis; hoc dicit ipse psalmus: Ego dixi in extasi mea, Omnis homo mendax. Quid est, omnis homo mendax? Omnis Adam mendax. Expolia te Adam, et induere Christum, et non eris mendax.

Multa agenda in die octaua Paschae.

Sufficiant caritati uestrae, quia multa agenda sunt.

1 Vide Praefat. ad n. XXXIII. itemque post n. LII. PASCHAE] ita ad calcem sermonis G² (= alterum exemplum fol. 84ᵛ); de dom. sancte pasce G¹ (= prius exempl. fol. 52ᵛ). 2 sanitatis] G² om. et. 6 oboedi G². 8 loqui] Act. 4, 19. 20. se] om. G². 15 Christi] Rom. 10, 17. 17 tamen] tam G². 18 qui eramus audituri et non uisuri G². 19 quod modo] ex quomodo conieci, ut iam semel supra Tract. VII, l. 12. 23 quem non c. s. mihi] 2º loco om. G¹. 24 praesentium carnis tuae] cf. Enarr. in Ps. 17, n. 45: ‚Populus gentium, quem corporali praesentia non uisitaui, seruiuit mihi', itemque infra Tract. XXIV, n. 5. 25 occulis G². 27 mihi] Ps. 17, 45. 31 confusionem] G²; confessionem G¹. 33 expauiscit G¹. 35 potueritis] trino loco ex potueris corr. G¹. exigitur] G² add. enim. 39 sum] Ps. 115, 10. ommutescere G². 40 inplenti G². 42 siccare] absolute, cuius exempla non desunt. 43 aeternam] Ioh. 4, 14. 45 ruptatis G². 47 mendax] Ps. 115, 11. 48 et induere Christum] sententia plane Augustiniana, de qua cf. inter cetera Serm. 166, 2: ‚Si deponis mendacium, exue Adam; si loqueris ueritatem, indue Christum'; n. 4 ‚Noli esse Adam, et non eris homo; si non homo, non utique mendax, quia omnis homo mendax.' 50 multa agenda sunt] Serm. 260 init.: ‚Ne moras faciamus, acturi multa . . .'; Serm. 226 circa fin.: ‚Satis sint uobis pauca ista, quoniam et post laboraturi sumus . . .'

# DE QUADRAGESIMA ASCENSIONIS DOMINI

Ascensionem domini in caelum cum carne in qua surrexit dominus hodie celebramus: anniuersaria sollemnitas non factum reuocat, sed memoriam renouat. Ascendamus interim cum illo corde, certi sumus quod sequimur et carne. Non inaniter modo audiuimus, Sursum cor; nec sine causa nos exhortatur apostolus dicens, Si resurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Tollite uos de terra: non potest corpus, sed uolet animus. Tollite uos de terra: in terra labores tolerate, in caelo requiem cogitate: bene hic agatur, ut ibi semper maneatur. Non est locus cordis in terra, ubi seruet integritatem suam; si fuerit in terra, corrumpitur. Quod pretiosum habet unusquisque, sursum

„Sursum cor" ante tractatum.

Pretiosa quaeque imminente bello loco securo recondita.

leuat: multi homines, immo omnes homines, quando audiunt in terra aliqua bellorum imminere pericula, quicquid carum habent, quaerunt ubi seruent. Nonne sic est? potest quisquam in genere humano aliter esse, quam dico? Argentum habet, aurum habet, gemmas habet, monilia pretiosa habet, uestes caras habet: quaerit ubi seruet, utique ne perdat quod habet. Melius sursum ponat quod melius habet, sur-
87v sum ponat. Quid melius | habet corde suo? De corde possidentur terrena. Denique paruuli pueri, quia nondum habent sensum et intellectum in usu — habent enim sepositum, nondum in eis euigilauit quod creatum est — numquid possident? Nascitur heres futurus omnium rerum, et quamuis eius iam iure sint omnia, nondum tamen possidet sua, quia unde possideat nondum habet. Ideo dixit apostolus, Quamdiu heres paruulus est, nihil differt a seruo. Unde ergo aliquid possidemus in terra, cor est, intellectus est, sensus est, ingenium est, ratio est, cogitatio est, consilium. Quanta dixi, et quid dixi? Quis enim conprehendit se? quanto minus illum, qui fecit se? Ibi commendemus quod carum habemus. Circum inspicite omnia uestra, fratres mei, et inuenite quid carius habeatis. Ego et auaros ammoneo: quanto facilius me audiunt non auari! Conuinco auaros: O tu auare homo adquisitor, undecumque siue honeste siue turpiter lucra conquirens, congeris ad te multum lutum: lutum colligis, et ne ibi haereas non pertimescis, cara sunt tibi terrena. Homo es, corpus habes, animam habes: in ipso corpore tuo prius quaero quid carius habeas? Puto, nihil inuenis in corpore tuo oculis carius. Denique qui multum amant hominem, dicunt: Sic te amo, quomodo oculos meos. Gradus faciamus ad id, quod cupio demonstrare. In membris tuis nihil tibi est oculo carius. Attende nunc thesauros tuos, attende quod seruas. Si quis tibi diceret; Aut das mihi quod seruas in terra, aut modo aufero oculos tuos; nonne totum dares pro oculis tuis? Totum dares, ne in tuis diuitiis caecus remaneres: non enim possideres, quod nondum uideres. Et auaritia quidem tua possidet aurum, extremam nescio quam et

Paruuli pueri quare nihil possident.

Nihil in corpore oculis carius.

exiguam partem terrae: oculis tuis possides caelum, oculis tuis respicis solem, oculis tuis consideras sidera, per oculos tuos mundi possessor es. Et quid multa dicam? Interroga te, respondebit tibi anima tua pro corpore suo: Totum da, serua fenestras meas. Hoc tibi dicit || anima tua: Duas fe- fol. 88 nestras habeo in facie tua, per ipsas uideo lucem istam: da aurum, ne claudantur fenestrae meae. Totum ergo das pro oculis tuis.

2. Certe nihil habes oculis carius: nihil quidem, sed in corpore. Nam ostendo aliquid carius quod habeas quam oculos tuos: modo confiteberis, cui loquor, carior est in te quam oculi tui. Cui loquor, dico, non per quod loquor: per aurem mentem conuenio, per aurem mentem excito, per sonum menti loquor, mentem exhortor, mentem aedifico. Quaero ab ipsa mente, et de ipsa mente, et interrogo homi- Oculis tamen carior ipsa mens. nem hoc modo. Iam dudum dicebam, si quis tibi uellet auferre thesauros aut oculos, unum de duobus, eligeres oculos: quamuis dolens, amitteres thesauros, ne perderes oculos. Modo de ipsis oculis interrogo. Si utrumque liceat tenere, felicitas est, oculos et mentem. Si non liceat utrumque, et unum horum proponatur: Elige quod melius est, perdere oculos corporis, an mentem. Si perdideris mentem, pecus eris; si perdideris oculos, habebis mentem, homo eris. Dic, elige quod uelis. Quid uis esse, homo caecus, an uiuens pecus? Acclamastis, elegistis: quod elegistis, unde uidistis? Acclamatio auditorum. quid ostendi, ut clamaretis? Aliquos pulchros colores, aliquas uenustissimas formas, aurum, argentum ostendi? gemmas uobis inspiciendas aliquas protuli? Nihil horum: tamen adclamastis, et acclamando uos elegisse significastis. Unde uidistis quod elegistis, ipsa est mens, cui loquor. Unde elegisti quod audisti per uerbum meum, hoc crede in uerbum dei. Hoc audis et facis, cum dicitur, Sursum cor. Christum cogita sedentem in dextera patris: cogita uenturum ad iudicandum uiuos et mortuos. Fides cogitet: fides in mente est, in fundamento cordis est fides. Quis pro te mortuus sit, uide: attende ascendentem, ama patientem: attende ascendentem,

et tene morientem. Pro tanto promisso pignus habes, quod tibi promisit Christus: quod fecit hodie, ascensio ipsius, promissio est tibi. Sperare debemus resurrecturos nos, et ascen-
88v suros ad regnum dei, et ibi cum deo semper futuros, | sine fine uicturos, sine ulla tristitia laetaturos, sine molestia permansuros. Ibi non tibi dicetur, Caue malum, sed, tene bonum. Magnum est quod promittitur: quando sibi auderet hoc promittere timida et inbecilla mortalitas? quando sibi auderet pollicere ista putredo? considerans quid esset, quando sibi ista promitteret? Promisit illa deus. Ut credas, inquit, quia ascendes ad me, prius descendo ad te; et ut credas quia uiues de me, prius morior pro te.

Magnum promissum Christi, pro quo pignus ascensio est.

1 Vide praefat. ad n. LV. DOMINI] hic quoque inscriptionem, quae ad calcem legitur, in fronte praeposui. 7 exortatur apostolos G. 8 resurr.] in consurr. post. sine causa mut. 10 super terram] Col. 3, 1. 2. 23 corde] quam ante expuncto. 25 usu] m in fine eras. 26 euigilabit. 30 seruo] Gal. 4, 1. 33 quando minus. 36 et] post. perperam delet. auaros] ex auarus corr. 39 at te. 45 menbris. 65 exortor. 73 oculis. 78 benust. 80 aclamando. 81 unde elegistis. 82 in uerbum] pro in uerbo? 90—92 resurrecturus ... ascensurus ... futurus ... uicturus ... laetaturus. 94. 95 audiret.

# DE QUADRAGESIMA ASCENSIONIS DOMINI II.

Glorificatio domini nostri Iesu Christi resurgendo et ascendendo completa est. Resurrectionem ipsius Paschae dominico celebrauimus: ascensionem hodie celebramus. Festus nobis dies uterque. Ideo enim resurrexit, ut nobis exemplum resurrectionis ostenderet; et ideo ascendit, ut nos desuper protegeret. Habemus ergo dominum et saluatorem nostrum Iesum Christum prius pen-
fol. 93 dentem ‖ in ligno, nunc sedentem in caelo. Pretium nostrum dedit, cum penderet in ligno; collegit quod emit, cum sedet in caelo. Cum enim omnes collegerit, quos utique per tempora collegit, in fine temporis ueniet, et, quomodo scriptum

Occultum Christum uenire cur oportebat.

est, Deus manifestus ueniet: non quemadmodum primo uenit occultus, sed sicut dictum est, manifestus. Occultum enim eum oportebat uenire, ut iudicaretur; manifestus autem ueniet, ut iudicet. Si enim prius manifestus ueniret, iudicare manifestum quis auderet? Quando quidem dicit apostolus Paulus: Si enim cognouissent, numquam dominum gloriae crucifixissent. Sed si ille non occideretur, mors non moreretur: trophaeo suo diabolus uictus est. Exultauit enim diabolus, quando hominem primum seducendo deiecit in mortem. Primum hominem seducendo occidit: occidendo nouissimum, de laqueis primum perdidit.

Christus leo et agnus.

2. Facto est ergo uera uictoria domini nostri Iesu Christi, cum resurrexit et ascendit in caelum; impletumque est quod audistis, cum Apocalypsis legeretur, Vicit leo de tribu Iuda. Ipse leo dictus est, ipse agnus dictus est: leo propter fortitudinem, agnus propter innocentiam: leo quia inuictus, agnus quia mansuetus. Et iste agnus occisus morte sua uicit leonem, qui quaerit quem deuoret. Dictus est enim diabolus leo feritate, non uirtute. Apostolus quippe ait Petrus: Vigilare nos oportet aduersus temtationes, quia aduersarius, inquit, uester diabolus circuit quaerens quem deuoret. Sed quomodo circuit, dixit: Sicut leo rugiens circuit, quaerens quem deuoret. Quis non incurreret in dentes leonis huius, nisi uicisset leo de tribu Iuda? Contra leonem leo, contra lupum agnus. Exultauit diabolus, quando mortuus est Christus, et in ipsa morte Christi est diabolus uictus: tamquam in muscipula escam accepit. Gaudebat ad mortem, quasi praepositus mortis: ad quod gaudebat, inde illi tensum est. Muscipula diaboli, crux domini: esca qua caperetur, mors domini. Ecce surrexit dominus noster Iesus Christus. Ubi est mors, quae pependit in ligno? ubi est insultatio Iudaeorum? ubi est typhus et superbia caput ante crucem agitantium et dicentium, Si filius dei | est, descendat de (93v) cruce? Ecce plus fecit, quam illi insultando exigebant: plus enim est de sepulchro resurgere, quam de ligno descendere.

3. Iam uero quanta gloria est, quod ascendit in caelum,

quod sedet ad dexteram patris? Sed hoc oculis non uidemus, quia nec pendentem in ligno uidimus, nec resurgentem de sepulchro aspeximus. Totum hoc fide tenemus, oculis cordis intuemur. Laudati sumus, quia non uidimus, et credidimus. Nam Christum uiderunt et Iudaei. Non est magnum uidere Christum oculis carnis, sed magnum est credere Christum oculis cordis. Si modo nobis Christus praesentaretur, et staret ante nos, et taceret, unde sciremus quis esset? Et deinde tacens quid nobis prodesset? Nonne melius in euangelio absens loquitur, quam praesens taceret? Et tamen non est absens, si corde teneatur. Crede in illum, et uides eum: non est ante oculos tuos, et possidet cor tuum. Nam si a nobis absens esset, quod modo audiuimus mendacium esset, Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem saeculi.

Melius nobis praesens est, quam Iudaeis.

1 Vide Praefat. ad n. LVII. 2 Glorificatio domini] aliter, ut dixi, sermo in G exorditur: Ascensionem domini hodie celebramus, carissimi fratres: celebratio enim nostra tunc uera est, si ad illum corde ascendamus. Ascendamus ad eum, quia descendit ad nos uiuere nobiscum, sed mori pro nobis, et ad hoc mori, ne nos in aeternum moreremur. Ascendamus ergo ad eum interim mente, quia non possumus corpore. Scalae autem nostrae sunt, non gradus quibus innitimur, sed mores quibus proficimus. Unde dicit etiam apostolus Paulus: ,Si resurrexistis cum Christo, quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Mortui enim estis, et uita uestra abscondita est cum Christo in deo; cum Christus apparuerit uita uestra, tunc et uos cum illo apparebitis in gloria.' Ille itaque ascendit, qui terrena tolerat, et caelestia concupiscit. Festus enim nobis, carissimi, hodiernus est domini ascensionis dies. Resurrectionem ipsius domini pascha celebrauimus, et reliqua ut supra l. 3 sqq.; cf. Serm. de ascensione domini, Rev. Bénéd. XXIX (1912), p. 253. 2 et ascendendo $\mu$ (=Aug. Serm. 263 edit. Maurin.); et in caelos hodie ascendendo $\beta$ (=Serm. ex Maianis 44). 3 resurrectionem] G $\mu$ et ap. Mai cod. C; resurrectionis diem $\beta$. 4 paschae dominico] $\mu\beta$; domini pascha G. ascensionem G$\mu$; ascensionis uero diem $\beta$. 5 uterque] add. inluxit $\beta$. 7 protegeret] hoc loco in $\beta$ multa sunt ex Maximi Taurin. homil. 60 et 57 interpolata. Habemus ergo] ab his uerbis $\beta$ n. 2 ad textum genuinum reuertitur. 8 Christum] add. cre-

dimus enim illum β. 10 collegit] Gβ; colligit μ. quod emit Gμ; quos redemit β. sedet] Gμ; sedit β. 12 collegit] Gβ; colliget μ. 12 in finem β. ueniet] Gμ; ueniens ipse restituit β magis magisque corruptus, cuius paucas ideo lectiones, quae sua penitus probabilitate non careant, commemorasse sufficiet. 13 ueniet] Ps. 49, 3. quemadmodum] μβ; quomodo G. primo] G; primitus μ. 15 oport. eum μβ. 16 ueniret] Gβ; uenisset μ. 17 audiret G. 19 crucifixissent] I Cor. 2, 8. 21 enim] G unus. hominem primum] Gβ; prim. hom. μ. 22 in morte G. seduc. prim. hom. μ. 23 primum de laqueis μ; primum de laqueo β. 24 factus G. uera] Gβ; om. μ. dominus noster Iesus Christus G. 25 impletumque] G; et impletum μβ. 26 apocalipsis G. 27 Iuda] Apoc. 5, 5. ipse agnus] Gβ; qui agnus μ. dictus] G; occisus μβ. 29 iste] Gμ; ipse μ. 30 quaerit] Gβ; circuit quaerens μ. 32 nos] Gβ; uos μ. oportere β. 33 inquit] β; inquid G; om. μ. quaerens] om. G. 34 Sed quomodo ... quem deuoret] om. G. 35 deuoret] I Petr. 5, 8. 38 in ipsa] Gβ; om. in μ. est diabolus uictus] μβ; diabolus uictus est G. 39 aescam G. 41 aesca G. 42 et ecce μβ. 44 tifus G. 45 de cruce] ex Matth. 27, 40 et 42; uide sis adnot. crit. ad Tract. XVI, 82. 46 ecce] Gβ; et μ. 49 occulis G. uidemus] post. corr. uidimus G. 50 nec resurg. d. s. aspeximus] Gβ; om. μ. 52 Laudati etc.] haec clausula in Gβ tantummodo legitur, in μ uero quasi nouus sermo incipit; post laudati add. quidem β. 53 Iudaei] add. sed crucifixerunt eum β. 54 credere G; tenere β. 56 stans ante nos nihil nobis loqueretur, unde scire poteramus quis esset? β. Et] om. β. 57 nonne] β; non mut. in nunc. G. 59 absens a nobis, si corde quidem teneatur β. et uides eum] et intus est β, qui sic prosequitur: non est quidem a. o. tuos, sed p. c. tuum. 61 audiuimus] β add. non uerum sed. 62 sum] add. omnibus diebus β. saeculi] Matth. 28, 20.

# DE NATALE SANCTI IOHANNIS BAPTISTAE

De Iohanne baptista, non euangelista, cuius hodie natalis celebramus diem, magnum diem, magnum est ipsius domini testimonium. Ait enim de ipso saluator noster, dominus eius et noster, ait de illo quid aliud quam ueritas? In natis mulierum nemo exsurrexit maior Iohanne baptista. Ecce cuius hodie celebratur ista sollemnitas: quo nemo maior surrexit in natis

mulierum. Sed adiecit ipse dominus, et ait: Qui autem minor est, in regno caelorum maior illo est. Quid est, minor illo? Minor aetate, maior potestate. Iohannes, summus homo, sed tamen homo: de domino autem Christo ualde parum est ut dicamus, summus homo, quia deus et homo. Diximus testimonium domini de Iohanne: dicamus testimonium Iohannis de domino. Recolite memoria, retinete testimonium domini, quod commemoraui, de Iohanne, quia in natis mulierum nemo exsurrexit maior Iohanne baptista. Ecce quod Iesus de Iohanne: quid Iohannes de Iesu? Primo uidete quomodo implebatur testimonium domini de Iohanne. Ipse putabatur Christus: et audistis, quando prima lectio recitata est de Actibus apostolorum, quid narratum est et commemoratum: Iohannem dixisse, Quem me suspicamini esse, non sum ego Christus. Error hominum || plus aliquid suspicabatur, sed humilitas quod erat confitebatur. Et uidete quam facile fuit abuti errore hominum, et se iactare pro Christo. Non fecit, merito magnus, confitendo potentior quam superbe hinniendo, numquid persuasurus illis erat quod ipse esset Christus. Iam hoc putabant: confirmaret quod putabant: falleret de eo quod erat, dicendo se quod non erat. Et hoc si fecisset, ubi esset? Vos misistis ad Iohannem, ait dominus Iesus Iudaeis; ille erat lucerna ardens et lucens, et uos uoluistis exultare ad horam in lumine eius: ego autem habeo testimonium maius Iohanne. Bona lucerna: merito fugit sub pedes petrae, ne extinguatur uento superbiae.

Testimonium domini de Iohanne, Iohannis de domino.

Prima lectio recitata de Actibus apostolorum 13, 25.

fol. 106

2. Videte ergo, carissimi, quanta fuerit magnitudo Iohannis, et quomodo impletum est quod ait de illo dominus, In natis mulierum non exsurrexit maior Iohanne baptista. Certe Christus dominus erat, immo dominus est, qui erat ante Iohannem, qui erat ante Abraham, qui erat ante Adam, qui erat ante caelum et terram, quia omnia per ipsum facta sunt: certe dominus erat, et in terra deus ambulabat, et Verbum caro factum erat; et tamen in discipulis eius non numeratur Iohannes. Recolite nomina discipulorum a primo usque

Iohannes in discipulis Christi non numeratur, immo Christi tempore discipulos colligit.

ad ultimum. Est ibi Iohannes, sed euangelista, non baptista: iste ergo quantum ad humanum aspectum discipulus Christi non erat, immo suos etiam ipse Christi tempore discipulos colligebat. Denique Iudaei de discipulis Iohannis insultabant discipulis Christi, et calumniabantur, dicentes: Quare discipuli Iohannis ieiunant, et discipuli tui non ieiunant? Habebat discipulos Christus, habebat et Iohannes: baptizabat Iohannes, baptizabat et Christus. In natis mulierum est quia nemo exsurrexit maior Iohanne baptista: sed tamen quasi aemulus colligens discipulos, quasi contra Christum, sed tamen pro Christo. Quia tam magnus erat, ut Christus putari posset, ipse debuit Christo testimonium perhibere.

*Cui perhibet testimonium summus homo, plus est quam homo.*

Cui perhibet testimonium summus homo, plus est quam homo. Non sum quod putatis. Certe magnus sum, ut hoc putetis: non sum quod putatis. Et quis es tu? dictum est ei. Ego sum uox clamantis in deserto, Parate uiam domino. Videte praecursorem, suscipite metatorem, timete iudicem. |[106v] Parate uiam domino rectas facite semitas eius: omnis mons et collis humiliabitur, et omnis uallis exaltabitur: et erunt tortuosa in directum, et aspera in uias planas, et uidebit omnis caro salutare dei. Non me, sed salutare dei. Videbit omnis caro salutare dei. Perhibet lucerna testimonium diei, quia Christus dies. Quid Iohannes? Lucerna. Sed quid opus erat lucerna? Quia abscondebatur dies: abscondebatur, donec pateretur: quia nec pateretur, nisi absconderetur. Si enim cognouissent, numquam dominum gloriae crucifixissent.

3. Et tamen ne multum resistant diei, de lucerna condiuntur Iudaei: mittuntur ad Iohannem. Dixit: Non sum ego; qui in medio uestrum est, maior me est. Quantum maior? Certe dixerat dominus Christus, In natis mulierum nemo exsurrexit maior Iohanne baptista; qui autem minor est — de se ipso dicens, eo quod posterior in carne est — in regno caelorum maior illo est. Minorem se dixit: quantum maior esset non dixit. Sane, ne aliquid subripere uidear, quia et ipse est utilis sensus, et a uero non aberrans, dicam

Christus Iohanne minor aetate, maior potestate.

et ipsum. In uerbis ubi ait dominus, In natis mulierum nemo exsurrexit maior Iohanne baptista, qui autem minor est in regno caelorum maior illo est, et alius sensus est in alia distinctione uerborum, si sic distinguas, In natis mulierum nemo exsurrexit maior Iohanne baptista; qui autem minor est in regno caelorum, maior illo est, ut intellegas in regno caelorum esse sanctos angelos, et dictum esse: qui minor est in sanctis angelis, maior est omnibus hominibus. Siue ille sensus, siue iste, non abhorret a fide: quia et hoc uerum est, minorem esse Christum aetate, maiorem maiestate; et illud uerum est, quantumlibet magnus sit homo, minus eum esse quam est angelus minor. Tamen audiamus Iohannem, quantum maiorem confessus fuerit dominum Iesum. Quia ipse dixit, Qui uenit post me, maior me est, non audis maior me est, quaeris quantum maior. Si taceat, suspicemur, sed plane credamus: Iohannes enim seruus, Christus dominus. Dicat Iohannes quantum: Cuius non sum dignus, inquit, corrigiam calciamenti

Qui minor est in angelis, maior est omnibus hominibus.

fol. 107 soluere. Quantum se humiliasset, || si se dignum esse dixisset! Si stat ille, uel sedet ille, et tu soluis corrigiam calciamenti, agnosco: dominus est ille, seruus tu. Parum est hoc, inquit Iohannes, non sum dignus uel hoc. Responde ergo nobis, si fieri potest, quare non sis inter discipulos eius, quare extra discipulos collegisti. Ego, inquit Iohannes, ego non sum discipulus eius; sum, sed ubi non uidetis. Qui habet sponsam, sponsus est. Vox Iohannis est de domino Christo: Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat, et audit eum. Certe non est discipulus eius: seruus certe stante illo, amicus donante illo. Dixit enim et discipulis suis: Iam non dicam uos seruos, sed amicos. Videte tamen discipulum in interioribus, in occulto, et in secreto sanctuarii. Amicus sponsi stat, et audit eum. Stet, et audiat eum: quia nisi audisset, cecidisset, similisque illi fuisset, de quo dicit ipse dominus: Ille homicida erat ab initio, et in ueritate non stetit. Diabulus in ueritate non stetit, et cecidit cadens qui deicit.

Quantum se maiorem Iesum Iohannes confessus sit.

Iohannes discipulus et amicus Iesu, ubi homines non uident.

Iohannes autem stetit, et audiuit eum. Et quid sequitur? Et gaudio gaudet propter uocem sponsi. Ille uerbum est, ego sum uox, Iohannes dicit. Vox est, et gaudio gaudet propter uocem sponsi. Tu enim uox, ille uerbum; sed ille et uerbum et uox. Quare dominus et uerbum et uox? Quia Verbum caro factum est. Sicut enim uerbum quod parit cor nostrum intus est in corde nostro, et latet eos qui sunt extra nos: sicut modo quod dicturus sum latet uos, me autem non latet; iam est in corde meo uerbum: ut autem procedat ad uos, assumitur uox, et peruenit ad te quod latebat in me, nec, cum peruenit ad te, recedit a me. Si hoc uerbum meum, quid uerbum dei? Qui erat apud patrem, latebat apud patrem: ut exiret ad nos, assumta est caro quasi uox; et ad nos processit, et a patre non recessit. Et audierunt ista Iudaei dicentem, etiam ista Iohannem dicentem: Nos omnes de plenitudine eius accepimus. Quid est, nos omnes? Patriarcha erat, propheta erat, iustus quicumque erat, quilibet praedicator erat, ipse Iohannes erat, quo nemo maior surrexit in natis mulierum: omnes de illo fonte biberunt, ideo | talia ructauerunt. 107v

Iohannes uox est, Iesus et uerbum et uox.

4. Ergo a lucerna confunduntur Iudaei inimici occulto die. Et plane confusi sunt. Videte quemadmodum ipsum dominum interrogauerunt quodam die, et dixerunt: Quo usque animas nostras tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Calumniam parabant, non ueritatem quaerebant. Quam diu, inquiunt, animas nostras tollis? quam diu nos suspendis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Et ille ad eos: Interrogo uos et ego unum uerbum: dicite mihi, baptisma Iohannis unde est? de caelo est, an ex hominibus? Fulsit sapientia, repressa est inprudentia; redierunt in se, qui processerunt ad illum. Qui processerunt calumniando, redierunt haesitando; et dixerunt inter se, uel apud se: Si dixerimus, De caelo, respondet nobis, Quare non credidistis ei, quando testimonium perhibuit mihi? Si illi credidistis, me quare interrogatis? Si dixerimus, de caelo, hoc apud se respondebit nobis, Quare non

Iudaeorum confusio de lucerna Iohanne in Psalmo praedicta, in Euangelio impleta.

credidistis ei? Si dixerimus, Ab hominibus, metuimus turbas, ne lapident nos. Omnis enim turba Iudaeorum habebant Iohannem tamquam prophetam. Ideo lucerna ante diem uidentes quicquid horum responderent contra se fuisse responsuros, responderunt: Nescimus. Quod sciebant, responderunt: Nescimus. Et dominus: Nec ego uobis dicam in qua potestate ista facio. Quid dicturi erant? quid responsuri? Sine dubitatione confusi sunt, et inpleta est prophetia dicentis in psalmo: Paraui lucernam Christo meo. Videte quando dictum est, quando impletum est. Quando dictum sit, legite psalmum: quando impletum est legite euangelium. Paraui lucernam Christo meo. Ut quid? Inimicos eius induam confusione. O dura confusio! cotidie confunduntur, et non conuertuntur.

Quicquid sumus boni, Deo tribuendum; quicquid mali, nobis inputandum.

5. Nos autem, carissimi, qui in locum praecisorum ramorum insiti sumus — si<c> enim dicit apostolus; audiamus eundem, et non alta sapiamus — quicquid sumus boni, bono deo tribuamus: quicquid sumus mali, nobis inputemus. Rectum cor habet, qui in bonis suis non laudat nisi deum, in malis suis non blasphemat deum. Quicquid enim nobiscum deus agit, scienter agit: nemo illo melior, nemo sa-
fol. 108 pientior, nemo potentior. Conuocauit || nos, et recolite unde. Liberauit ab idolis, liberauit a seruitute demoniorum, a tantis sacrilegiis. Unde hoc nobis? Unde, inquit, mihi, ut ueniret mater domini mei ad me? Quantum homines humiliemur, et nonnisi in domino gloriemur, ut ille exaltetur; nos minuamur, ut in illo crescamus. Videte summum hominem, quo in natis mulierum nemo exsurrexit <maior>, quid ait de Christo? Illum oportet crescere, me autem minui. Crescat deus, minuatur homo. Et quomodo crescit

Crescit Deus in nobis, cum intellegimus eum.

perfectus? quid enim deest deo, ut crescat? Deus crescit in te, cum intellegis eum. Ergo uide humilitate<m> hominis, et altitudinem dei. Illum oportet crescere, inquit, me autem minui. Indicauerunt hoc dies natales amborum. In luce res agitur, testis est ipse sol: ab hodierno die minuuntur dies, a natale domini crescunt dies. Illum oportet crescere, me

autem minui. Dominus enim Iesus Christus, gubernator auctorque creaturae, rector mundi, siderum fabricator, temporum ordinator, quoniam quando uoluit natus est, diem sibi elegit quo nasceretur, quo bene significaretur; et praecursori suo ipse dedit diem. In ipso uoluit hominem intellegi, in se deum. Minuatur homo, crescat deus: hoc indica<n>t passiones ipsorum. Iohannes decollatus est, Christus in cruce exaltatus est. Ergo, fratres, breuiter ad hoc concludam. Multa enim sunt, quae possunt dici de sancto Iohanne baptista; sed nec nos sufficimus dicendo, nec uos audiendo. Iam ergo breuiter concludam: homo humilietur, deus exaltetur. Qui gloriatur, in domino glorietur.

1 Vide Praefat. ad n. LXII. BAPTISTAE] add. IIII G. 3 caelebr. 10 illo est] Matth. 11, 11. quid] scripsi; quis G. 11 maior potestate] cf. Serm. ex his quos Mich. Denis edidit 11, n. 3: ‚Quid est, Qui minor est? Qui posterior aetate, maior maiestate.' 13 quia deus et homo] cf. Serm. 287, 3: ‚Magnus homo Iohannes, sed plus quam homo Christus, quia et homo et deus.' 15 memoriam G. 22 quem] conieci; quid G. Christus] Act. 13, 25. 27 hinniendo] haud incunctanter quidem emendaui ex iniendo. 33 Iohanne] Ioh. 5, 33. 35. 36. 34 sup pedes petrae] G; cf. Serm. 287, 3: ‚Omnino prostrauit se, et prostrauit se sub petra; lucerna enim erat, et uento superbiae timebat extingui'; item Serm. 289, 4; 290, 1 etc. 42 sunt] Ioh. 1, 3. 45 baptysta G fere constanter in his de Iohanne tractatibus. 47 Christi] scripsi; Christus G. 50 non ieiunant?] Marc. 2, 18. 51 habebat et Iohannes] eadem fere legere est in Serm. 293, 6. 52 sqq. Profecto laborat hic locus uerborum atque sententiarum inconsequentia; integrae periodi, ne dicam paginae, inter se disiunctae sunt, quibus medicam manum deficiente codicum auctoritate adponere non ausim. 59 tu?] Ioh. 1, 22. ei] s in fine eras. 61 domino] Ioh. 1, 23. 62 timete iudicem] similiter Serm. 289, 5: ‚sic intellege praecursorem, ut quaeras iudicem; sic audi praeconem, ut timeas iudicem.' 66 dei] Esai. 40, 3—5; porro testis est ipse Augustinus (Serm. 288, 2; 289, 3), hunc prophetae locum die festo Praecursoris in ecclesia legi consueuisse. 68 Iohannis G. 71 crucifixissent] I Cor. 2, 8. 74 est] cf. Ioh. 1, 20. 26. 27. 77 de se ipso dicens] Serm. ex Dionysianis 11, 3: ‚Sed quid ait, Qui autem minor est...? Se ipsum dicit' etc. 78 quantum maior esset] Ibid., n. 2: ‚Maiorem se illum

dicit. Dic, quanto maiorem?' etc. 86 illo est] Matth. 11, 11. 95 est] cf. Ioh. 1, 27. 98 inquid G. 99 soluere] Ioh. 1, 27. si se dignum esse dixisset] Serm. 387, 3: ,Si se dignum diceret, quantum se humiliaret? 100 solues G. 103 inter discipulis. 104 Ergo. 108 eum] Ioh. 3, 29 quem locum simili ratione interpretatur August. Serm. 293, 6. 111 amicos] Ioh. 15, 15; seruus sed amicus G. 115 stetit] Ioh. 8, 44. 118 sponsi] Ioh. 3, 29. 122 factum est] Ioh. 1, 14. Sicut enim uerbum etc.] Eadem fere sententiae iisdem uerbis, Serm. 288, 2—4. 124 extra] seu foris sensus euidenter postulat; quod compendio scriptum G. 126 assummitur. 126. 127. at te. 128 aput. 132 accepimus] Ioh. 1, 16. 133 patriarcha erat, propheta erat etc.] cf. Serm. 289, 5: ,Nos omnes de plenitudine eius accepimus. Quid est, nos omnes? Ergo patriarchae et prophetae et apostoli sancti... omnes nos de plenitudine eius accepimus. Nos uasa sumus, ille fons est.' 136 ruptauerunt G. 138 quem ammodum. 141 palam] Ioh. 10, 24 fortasse confusione quadam pro Luc. 20, 2. qui locus simili ordini sententiarum conuenientius aptatur, Serm. 128, 2; 293, 4; ex Dionysianis 11, 7; Tract. 2 in Ioh., n. 9. 145 baptysma. 146 hominibus?] Luc. 20, 3. 4. 149 inter se uel apud se] utraque translatione uerborum πρὸς ἑαυτούς antiqui scriptores christiani utuntur, posteriore tamen libentius Augustinus. 150 ei] Luc. 20, 5. 152 aput fere const. 153 metuimus turbas] quibus uerbis nihil in graeco respondet; sed ita certe Augustinus Tract. 2 in Ioh., n. 9: ,Si autem ex hominibus dixerimus esse, timemus populum, ne lapidet nos.' 155 prophetam] Luc. 20, 6. lucerna] ablatiuo scripsi; lucernam G; cf. Serm. inter Dionysianos 11, 8: ,Inimici eius... prolato lucernae lumine confusi recesserunt.' 157 nescimus] Luc. 20, 7. quod sciebant r. Nescimus] similiter in eodem Serm. Dionys. 11, 7: ,fugerunt corde, dicendo se nescire quod sciebant' itemque Serm. 128, 2. 159 facio] Luc. 20, 8. 162 meo] Ps. 131, 17. de quo uersu totus est Serm. Dionys. 11; cf. etiam Serm. 128, 2; 293, 4. 165 confusione] Ps. 131, 18. 168 insiti sumus] cf. Rom. 11, 17. sic] si G. 169 sapiamus] Rom. 11, 20. 170 inputemus] hoc quoque ex Augustini diuite uena s. Benedictus, Reg. Monach. c. 4: ,Bonum aliquid in se cum uiderit, deo adplicet, non sibi; malum uero semper a se factum sciat, et sibi reputet.' 177 ad me?] Luc. 1, 43. 180 maior] desideratur in G. 182 minui] Ioh. 3, 30. 183 Deus crescit in te etc.] cf. Serm. 370, 4: ,Crede in Christum, et crescit in te dies.' 184 humilitate G. 195 indicat G. 201 glorietur] II Cor. 10, 17.

# DE NATALE SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI

Apostolorum passio beatorum istum nobis sacrauit diem: istam gloriam meruerunt per totum mundum, contemnendo mundum. Petrus, apostolorum primus: Paulus, apostolorum nouissimus. Primum

Petrus, primus apostolorum, Paulus nouissimus.

et nouissimum ad unum diem passionis adduxit primus et nouissimus Christus. Ut recolatis quod dixi, adtendite alpha et o. Aperte ipse dominus dicit in Apocalypsi: Ego sum alpha et o: primus, ante quem nemo: et nouissimus, post quem nemo: praecedens omnia, definiens omnia. Primum uis intueri? Omnia per ipsum facta sunt. Nouissimum quaeris? Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Ut aliquando uiueres, ipsum habuisti creatorem; ut semper uiuas, ipsum habes redemtorem. Intueamur, carissimi, ipsum primum apostolorum beatissimum Petrum dicentem in epistola sua: Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut uestigia eius sequamur. Denique audistis, cum euangelium legeretur, Sequere me. Interrogauit eum, Christus scilicet

Lectum erat Euang. Ioh. 21, 15 sqq.

Petrum, magister discipulum, dominus seruum, medicus sanatum, et ait illi: Petre, diligis me? Et quod nostis, non autem tantum dixit, Diligis me? sed addidit, plus his. Diligis me plus his, plus quam isti? Non respondit ille, Diligo te plus quam isti: non ‖ enim erat hominis de

fol. 117

alienis cordibus iudicare; sed respondens ait, Domine tu scis quia amo te. Quid quaeris ex me, quod fecisti in me? Tu scis quod dedisti: quid de amore interrogas me, quem non habeo nisi ex te? Tu scis quia amo te. Et hoc ipsum dominus iterum interrogauit, et hoc ipsum iterum Petrus respondit. Tertio dominus interrogauit: et contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? Dominus interrogabat dilectionem Petri: nos interrogemus tristitiam Petri. Quare putamus contristatum Petrum, quia dixit ei tertio, Amas me? Quotiens uellet dominus interrogare,

seruus quare contristaretur? Sed in tertia domini interrogatione recoluit suam tertiam negationem. Intellegis, beate Petre, intellegis defectionem tuam, recolens contristaris: sed gaude post tristitiam. Confiteatur amor, quem negauerat timor. Denique uidete illum negatorem, prius dilectorem; immo prius dilectorem, sed adhuc infirmum. Dicimus quia

Negauit Petrus, sed ad passionis periculum secutus est Christum.

Petrus negauit Christum, et non dicimus quia ad passionis periculum secutus est Christum. Ordinem curandi medicus reseruauit: prius ostendit Petrum Petro, et postea se ostendit in Petro. Tamquam ei diceret: Moriturum pro me tu praesumsisti, sed non de me, quia tu praesumsisti de te. Interrogatus ab ancilla, inuenisti te: fleuisti, et redisti ad me.

2. Modo ergo commendans ei dominus oues suas praenuntiauit ei passionem, quam hodie celebramus. Cum esses, inquit, iunior, cingebas te et ambulabas ubi uolebas; cum autem senueris, alter te cinget, et fer<e>t quo tu non uis. Hoc autem dixit significans, qua morte glorificaturus erat deum. Factum est, negauit Petrus, fleuit Petrus, negationem suam diluit lacrimis Petrus. Resurrexit Christus, de amore interrogatus est Petrus: accepit oues commendatas sibi, non suas, sed Christi. Non enim ait illi, Pasce oues tuas, sed, Pasce oues meas: pasce quas emi, quia et te redemi. Conuersatus est deinde dominus Christus quadraginta diebus cum discipulis suis; eisque uidentibus nubes suscepit eum, et ascendit in caelum. Deduxerunt ascendentem oculis suis: sederunt postea | 117v in ciuitate, acceperunt quinquagesimo die spiritum sanctum, impleti sunt; illo momento temporis linguas omnium gentium didicerunt, loqui eas coeperunt, stupentibus et admirantibus eis qui occiderant Christum. Tunc negator ille, amator iste,

Petrus primus in omnibus.

solus ex omnibus, quia primus in omnibus, prosiliit ad Iudaeos, et coepit euangelizare Christum interfectoribus Christi: seminauit in eis fidem Christi, et multos eorum pro Christo persuasit mori, a quibus pro illo timebat occidi.

3. Ubi dictum est, ubi praedictum est, quod apostoli

Christi linguis omnium gentium fuerant locuturi? Caeli enarrant gloriam dei: intellege caelos, qui portant deum; et opera manuum eius, hoc est, gloriam dei, annuntiat firmamentum. Hoc sunt caeli. Dies diei eructuat uerbum, et nox nocti annuntiat scientiam. Non taceatur Christus diebus ac noctibus. Tamen cogita diem diei eructuare uerbum: Christum discipulis, lumen luminibus. Et nox nocti annuntiauit scientiam: ubi esset Christus, Iudas nuntiauit Iudaeis. Conprehensus est Christus, occisus est Christus, mors occisa est in Christo: quia resurrexit Christus, et ascendit in caelum, et misit quod promisit spiritum sanctum, et impleti sunt illo tamquam uino nouo utres noui. Dixerat enim dominus, Nemo mittit uinum nouum in utres ueteres. Et sciatis hoc fuisse conpletum. Iudaei stupentes et aliqui quasi deridentes dixerunt, nescientes quod dixerunt, Hii musto pleni sunt. Donante ergo et dictante et docente spiritu sancto locuti sunt linguis, quas non didicerunt. In gente sua didicerant unam, forsitan duas: locuti sunt autem, quid dicamus, tribus linguis, quatuor, quinque, sex? Quid quaeris numerum? Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur uoces eorum: modo psalmum, cum cantaretur, audistis. Et ipsi occisi sunt, sed uerba eorum scripta sunt. Quid fecerunt, qui occiderunt? In omnem terram exiuit sonus eorum. Nos in Africa constituti, longe inde eramus: ubi non erant loquelae neque sermones, quorum non audi<r>entur uoces eorum. Longe inde eramus, longe iacebamus, longe dormiebamus; sed ut de somno excitaremur, In omnem terram exiuit sonus eorum, || et in fines orbis terrae uerba eorum. Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te qui dixit Petro, Amas me? Quis sufficit dicere digna de Petro? Cui sufficit dicenti de Petro? Sine contumelia, beate Petre, liceat mihi paululum tacere de te, cuius sonus excitauit me. Sermo meus non potest tibi tantum uacare: non solus hodie passus es: es quidem apostolorum primus, sed comes tibi meruit esse nouissimus.

Cantatus fuerat psalmus 18.

fol. 118

Nomen, crimen.

A Saule Saulus cognominatus.

4. Procedat nobis et beatus Paulus, paululum aliquid de Paulo dicamus; etenim propterea Paulum se uoluit nominari, nam prius Saulus uocabatur. Saulus prius, postea Paulus: quia prius superbus, postea humilis. Recolite primum nomen, et in eo persecutoris agnoscitis crimen. Saulus a Saule cognominatus est. Saul, unde appellatus Saulus, persecutus est sanctum Dauid, in quo sancto Dauid figura erat Christi uenturi ex semine Dauid per uirginem Mariam. Impleuit partes Saulis Saulus, quando persecutus est Christianos. Acerrimus fuerat persecutor: quando beatus Stephanus lapidatus est, ipse lapidantium uestimenta seruauit, ut in omnium manibus lapidaret. Post passionem beatissimi Stephani dispersi sunt fratres, qui erant in Ierusolimis; et quia lumina erant, spiritu dei ardebant; quocumque uenerant, accendebant. Tunc uidens Saulus euangelium Christi crescere, impletus est zelo amarissimo: accepit literas a principibus, et perrexit adducturus ligatos puniendos, quoscumque inuenisset confiteri nomen Christi; et ibat anhelans caedes, sitiens sanguinem. Sic, sic cum iret, cum sanguinem sitiret, quoscumque adduceret et occideret quaereret, sic prorsus quomodo erat persecutor, audiuit uocem de caelo. Fratres mei, quid meruerat boni? quid non meruerat mali? Et tamen de caelo una uoce percussus est persecutor, erectus est praedicator.

Latinum uerbum: Post paulum uidebo te.

5. Ecce tibi Paulus post Saulum: ecce iam praedicat, ecce iam nobis quid fuisset et quid esset indicat. Ego, inquid, sum minimus apostolorum. Si minimus, merito Paulus. Recolite latinum uerbum: paulum modicum dicit<ur>. Si<c> 118ᵛ certe loquimur: | Post paulum uide<bo> te. Ergo Paulus ille, minimum se confitetur, tamquam in ueste domini fimbriam, quam tetigit languida mulier. Quippe illa, quae fluxum sanguinis patiebatur, ecclesiam gentium figurabat; ad quas gentes missus est Paulus, et minimus et nouissimus: quoniam fimbria et minima pars est uestimenti, et nouissima. Utrumque de se confessus est Paulus: et minimum se dixit, et nouissimum. Ego sum minimus apostolorum, ipse

dixit; ego sum nouissimus apostolorum, ipse dixit. Iniuriam non facimus, ipse dixit. Et quid aliud dixit? Ipse dicat, ne nos facere uideamur iniuriam; quamquam non est ullo modo Pauli iniuria, ubi commendatur Christi gratia, [Non est Pauli iniuria, ubi commendatur Christi gratia.] tamen, fratres, ipsum audiamus. Ego sum, inquit, minimus apostolorum, qui non sum dignus uocari apostolus. Ecce quod erat: qui non sum dignus uocari apostolus. Quare? Quia persecutus sum ecclesiam dei. Et unde es apostolus? Sed gratia dei sum quod sum, et gratia eius in me uacua non fuit, sed plus omnibus illis laboraui. Rogo te, sancte Paule, non intellegentes homines putant adhuc Saulum loqui: plus omnibus illis laboraui, quasi superbe dictum uidetur. Tamen uere dictum est: quid autem sequitur? At ubi uidit se dixisse, quod in celsitudinem quandam eum posset efferre, Plus, inquit, omnibus illis laboraui; et continuo, Non ego autem, sed gratia dei mecum. Agnouit se humilitas, tremuit infirmitas, confessa est donum dei perfecta caritas. Dic ergo iam tamquam plenus gratia, tamquam uas electionis, tamquam factus quod non eras dignus, dic, scribe ad Timotheum, et denuntia diem istum. Ego enim, inquit, iam immolor. Modo lectum est de epistola Pauli, hic lectum est quod [Lectum erat de II. ad Tim. epist. 4, 9 sqq.] modo dico: Ego enim, inquit, iam immolor. Imminet mihi immolatio: occisio enim sanctorum, deo est sacrificium. Ego enim iam immolor, et tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; de cetero superest mihi corona iustitiae, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Reddet meritis, qui donat merita. Factus est apostolus, qui non erat dignus: et non coronabitur dignus? Ibi enim, quando accepit || gratiam, non debitam, sed gratuitam: Non [fol. 119] sum, inquit, dignus uocari apostolus, sed gratia dei sum quod sum. Modo autem debitum exigit: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; de cetero autem superest mihi corona iustitiae, corona iustitiae debetur mihi. Et ut scias quia debetur: Quam reddet

*Merita Pauli, dona Dei.*

mihi. Non dixit, dat mihi, aut, donat mihi, sed reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Misericors donauit mihi, iustus reddet mihi. Video, beate Paule, quibus corona debetur, meritis tuis; sed respiciens quod fuisti agnosco, dei dona sunt ipsa merita tua. Dixisti, Bonum certamen certaui; sed tu ipse dixisti, Gratias deo, qui dat nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Bonum ergo certamen certasti, sed Christo donante uicisti. Dixisti, Cursum consummaui; sed tu ipse dixisti, Non uolentis, neque currentis, sed miserentis est dei. Dixisti, Fidem seruaui; sed tu ipse dixisti, Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. Videmus ergo dei dona esse merita tua, et ideo gaudemus de corona tua. Etsi laudibus beatorum apostolorum, quorum sollemnitatem celebramus, inpar fui, tamen expectationi caritatis uestrae, quantum coronator eorum dignatus est, non defui.

1 Vide Praefat. ad n. LXVI. PAULI] add. num. III. G. 2 sacrauit diem] Haud dubium quin in mente habeat orator Ambrosianum illud: ‚Apostolorum passio diem sacrauit saeculis.‘ 5 Primum et nouissimum] utrumque nominatiuo G. 9 et o] Apoc. 1, 8. et] 2° loco s. l. suppl. nouissimus] Apoc. 1, 17. 11 facta sunt] Ioh. 1, 3. 13 credenti] Rom. 10, 4. 18 sequamur] I Petr. 2, 21. 19 me] Ioh. 21, 19; me s. l. add. 26 te] Ioh. 21, 15. 31 me?] ibid. 17. 49 caelebr. 51 fert 53 deum Ioh. 21, 18. 19. 60 deduxerunt ascendentem oculis suis] cf. Serm. de Ascensione, Rev. Bénéd. XXIX (1912), p. 254, 14: ‚Discipuli cum uiderent eum ascendere, oculis deduxerunt.‘ 61 occulis. 62 impleti sunt] post. m. exp. et in et mut. 64 ammirantibus 73 annunciant 74 firmamentum) Ps. 18, 2. 75 scientiam] ibid. 3. 78 annunciabit 84 ueteres] Luc. 5, 37. 86 sunt] Act. 2, 13. 91 uoces eorum] Ps. 18, 5. 100 te] Eph. 5, 14. 107 Procedat nobis] hic incipit fragmentum a Caillau (serm. 52 = $\varkappa$) et Mai (serm. 103 = $\beta$) editum. ut paululum $\varkappa\beta$. 107 aliquit G. 109 Saulus prius] Prius Saulus $\beta$; om. $\varkappa$. 112 unde appellatus Saulus] his expunctis post. m. quia superscripsit; Saul inde apellatus est, quia pers. $\varkappa\beta$. 114 Mariam] add. secundum qarnem $\varkappa\beta$. 118 in omnium] om. in $\beta$; codex uero, quo $\varkappa\beta$ usi sunt,

habebat omnibus. Post passionem] add. uero κβ. 119 erant] fuerant κβ. in] om. κβ. 120 quoc. u. accendebant] om. κβ. 122 principibus] add. sacerdotum κβ. 123 adducturus ligatos] Gβ; ad doctores legatus ad κ. 125 caedes] κ; caedem β; caede G propter s quae sequitur; cf. infra Tract. XXIV, l. 27: ‚anhelans caedes sanguinem sitiens' itemque Serm. 279, 1: ‚ibat spirans et anhelans caedes', quae loca pariter ad Act. 9, 1 referuntur. sanguinem] κβ; sanguine G. sic sic] Gκ; semel β. 126 quoscumque] G; cum quos κβ fort. melius. occideret] G; occidi κβ, quorum prior de suo praem. faceret. 127 quomodo] omnes, malim quando. 129 percussus est] Gκ; om. est β. 132 quid esset] Gκ; quis esset β. 133 apostolorum] I Cor. 15, 9. 134 dicitur] κβ; dicit G. 135 Si certe G. loquimur] coni.; loquitur omnes. uidebo te] uidete omnes, ubi tamen genuina lectio ex Serm. 279, 5 facile eruitur: ‚Inde Paulus. Usum latinae locutionis aduertite, quia paulum modicum dicitur: Paulo post uidebo te, paulum hic expecta; id est, post modicum uidebo te, modicum hic expecta' item Serm. 295, 7 et infra Tract. XXIV, l. 156; priores uero editores locum minime intellexisse manifestum est: sic certe loquitur post Paulus. Videte ergo κ; sic certe loquitur p. paulum. Videte ergo β. 136 ille] G; om. κβ. 138 figurabat G; significabat κβ. 140 uestimenti et minima pars est β. 142 prius membrum Ego sum minimus a. i. dixit om. β; κ autem ambo in unum cogit Ego sum nouissimus apostolorum et minimus apostolorum. Ipse dixit, ubi iterum medela ex Serm. 279, 5 praesto est: ‚Audi ergo Paulum: Ego sum, inquit, minimus apostolorum; et alio loco, Ego sum nouissimus apostolorum.' 143 nouiss. apost.] I Cor. 4, 9; 15, 9. iniuriam non facimus] om. κ; faciamus β; cf. infra Tract. XXIV, l. 109, itemque Tract. XXXII, n. 2: ‚Ecce quia non feci iniuriam fratri meo.' 147 Ego] add. enim β. 150 dei] I Cor. 15, 9. 159 mecum] ibid. 10. 164 hic] omnes, fort. pro hoc. quod modo G; quomodo κβ. 166 deo est] G; deo fuerat β; deo fecerat κ. 170 iudex] II Tim. 4, 6—8. 171 donat] G; fecit κβ. 172 dignus?] nota interrogandi omissa κβ ante adiectiuum add. nisi. 174 dei Gκ; om. β. 177 corona iustitiae] 1° loco s. l. suppl. G; om. κβ. 180 donauit] κ; donabit G; dabit β. 182 meritis tuis] Gκ; merita tua β. 185 Christum] I Cor. 15, 57. 188 dei] Rom. 9, 16. 190 essem] I Cor. 7, 25. 191 sqq. Et si laudibus... non defui] hanc clausulam om. κ. 194 defui] β; defuit G.

# DE NATALE SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI

Beati apostoli Petrus et Paulus diuersis temporibus sunt uocati, et uno die coronati. Petrum dominus uocauit ante omnes, Paulum post omnes. Apostolorum Petrus primus, Paulus nouissimus: adduxit eos ad unum diem primus et nouissimus. Pulcherrima integritas perseuerat, quando cum primis extrema concordant. Apostolus Petrus titubauit in mari: Petrus solus titubauit, sed solus in mari ambulauit. Solus timore negauit dominum, sed solus amore usque ad periculum secutus est dominum. Fuit ibi et beatus Iohannes, sed de amicitia sacerdotum principis praesumebat: erat enim amicus Iohannes principis sacerdotum, ad cuius domum ductus est dominus.
119v Petrus amore secutus est: trepidauit infirmitas, | sed fleuit caritas, et ueniam accepit infirmitas. Paulus autem, primo Saulus, etiam inimicus Christi fuit: Christianos acerrime persecutus est. Quando primus martyr Stephanus sanctus passus est, ibi erat; quando lapidabatur, omnium lapidantium uestimenta seruabat. Parum enim illi uidebatur, si suis tantum manibus lapidaret: in omnium manibus erat, quorum indumenta seruabat. Post haec occiso beatissimo Stephano et primo coronato — quia et nomen eius graeco uocabulo coronam indicat — iste inimicus acerrimus literas accepit a principibus sacerdotum, ut quoscumque inueniret istam uiam sectantes, uinctos ad supplicia perduceret. Iuit ergo Damascum furens, anhelans caedes, sanguinem sitiens. Qui habitabat in caelis, secundum psalmum, irridebat eum, et dominus subsannabat eum. Quid anhelas saeuus, quod eris cito ipse passurus? Quam minimum fuit domino Christo saluum facere inimicum, una desuper uoce prosternere persecutorem, erigere praedicatorem! Saule, inquit, Saule, adhuc Saule, quid me persequeris?

Apostolorum Petrus primus, Paulus nouissimus.

Petrus solus amore usque ad periculum secutus est Dominum.

2. Quanta dignatio, fratres mei! In uoce domini nos agnoscamus. Quis Christum iam persequi posset, ad dex-

teram patris in caelo sedentem? Sed ibi caput regnabat, hic adhuc membra laborabant. Ipse nos doctor gentium beatus apostolus Paulus docuit, ad Christum quid sumus: Vos autem, inquit, estis corpus Christi et membra. Totus ergo Christus, caput et membra. Videte in nostro corpore, accipite similitudinem. Si forte in turba affligaris, et aliquis tibi pedem calcet, caput pro pede clamat. Et quid est quod clamat? Calcas me. Saule, Saule, quid me persequeris? Quando enim Saulus euangelistas persequebatur, per quos dominus toto orbe ferebatur, pedes Christi ab eo calcabantur: in illis enim Christus ibat ad gentes, in illis Christus usquequaque currebat. Pes futurus pedes <calcabat> euangelium domini per orbem terrarum portaturos hominibus: calcabat quod futurus ipse erat. Quam speciosi pedes, propheta dicit, doctor ipse commemorat, eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona! Hoc etiam in psalmo cantauimus: In omnem terram exiuit sonus eorum. Vis uidere quo Christus || per istos pedes peruenerit? Et in fines orbis terrae uerba eorum.

Cantatus fuerat psalmus 18.

fol. 120

3. Denique Annaniae dominus loquens, quando illum mittit ad Saulum baptizandum, audiuit ab ipso Annania: Domine, audiui de isto homine, quod ubique persequitur seruos tuos. Tamquam diceret: Quis ouem mittat ad lupum? Ananias enim uerbum est hebraeum, quod latine interpretatur ouis. De Saulo autem futuro Paulo, persecutore futuro praedicatore, propheta praemiserat: Beniamin, lupus rapax. Unde Beniamin? Ipsum audi Paulum: Nam et ego Israhelita sum, ex genere Abraham, tribu Beniamin. Lupus rapax: mane rapiet, ad uesperum diuidet escas; prius consumet, postea pascet. Diuidebat enim escas iam ille praedicator, nouerat quid cui daret: quod alimentum subministraret aegroto et infirmo, quo cibo pasceret fortem. Diuidens enim escas, diuidens, non passim proiciens, diuidens enim escas dicebat: Et ego, fratres, non potui loqui uobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; tamquam paruulis in Christo lac uobis potum dedi,

Annanias ouis interpretatur.

Quid sit, escas diuidere.

<non> escam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc potestis. Diuido, non passim proicio. Huius ergo lupi nomen ouis Annanias audierat, et inter manus pastoris tremebat: sed a lupo terretur, a pastore autem consolatur, confirmatur, conseruatur. De ipso lupo audit res incredibiles, sed ueritate loquente ueras et fideles. Quid enim respondit dominus Annaniae trementi famam Pauli, quid respondit? Sine nunc, uas electionis est mihi homo iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus. Ego illi ostendam, quanta eum oporteat pati pro nomine meo. Ego illi ostendam: uox est minantis, sed cor<o>nam parantis. Denique ille factus ex persecutore praedicator, quae sustinuit? Periculis in mari, periculis in fluminibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in falsis fratribus; in labore et erumna, in uigiliis multis, in fame et siti, in frigore et nuditate, in mortibus saepius, praeter illa quae extrinsecus sunt, incursus in me cotiddianus, sollicitudo omnium ec-
120v clesiarum. Quis infirmatur et | non ego infirmor?

Paulus plus passus est, quam fecit, sed Christo uires subministrante.

Quis scandalizatur, et non ego uror? Ecce est ille persecutor. Patere, sustine: plus pateris quam fecisti; sed noli irasci, usuras accepisti. Sed quid attendebat, quando talia sustinebat? Audite alio loco: Etenim, inquit, quod est leue tribulationis nostrae. Iam totum hoc leue, quare? In incredibilem modum aeternum gloriae pondus operatur nobis, non respicientibus quae uidentur, sed quae non uidentur. Quae enim uidentur, temporalia sunt; quae autem non uidentur, aeterna. Aeternorum ergo amore flagrabat, quando fortiter mala, etsi acerba et pessima, tamen temporalia, sustinebat. Leue est omne cum fine supplicium, ubi sine fine promittitur praemium.

4. Et tamen quando sustinebat, an ille in illo et cum illo sustinebat, qui non deficiebat? Prorsus audeo dicere, non ipse sustinebat. Et ipse sustinebat, quia fideliter uolebat: non ipse sustinebat, quia uirtus in illo Christi habitabat.

Christus regnabat, Christus uires subministrabat, Christus non deserebat, Christus in currente currebat, Christus ad palmam perducebat. Non ergo facio iniuriam, quando dico, non ipse sustinebat. Dico prorsus, dico cum fiducia, et uerba mea ipso teste confirmo; apostolum sanctum suscensere mihi non sino, quando uerba eius illi recito. Dic, Paule, dic, sancte, dic, apostole: audiant te fratres mei, quia nullam tibi iniuriam feci. Quid ergo ipse dicit, comparans se in laboribus coapostolis suis? Non timuit dicere, Plus omnibus illis laboraui. Iam hic mihi respondetur: Certe non ipse. Dic ergo quod sequitur, ne ista dilatio mea sit infirmatio. Plus omnibus illis laboraui. Iam mihi irasci coeperatis: sed intercedit pro me, et quodammodo alloquitur uos. Nolite irasci: non ego autem, sed gratia dei mecum. Sic ergo et de passione sua imminente loquens, cuius dies hodiernus sollemnissimus agitur, quid dixit? Ego enim iam immolor, et tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De cetero superest mihi corona iustitiae, quam reddet mihi dominus in illa die || iustus iudex. Reddet: est enim cui reddat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Debetur quod redditur: sed non esset cui deberetur, nisi ei praerogaretur, quod non debebatur. Certe audis modo de dei debito praesumentem, audis modo Christum reddentem: audi per ipsum Paulum indebita praerogantem. Non sum, inquit, idoneus uocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiam dei. Modo attende quid debebatur, cui uides iam praeparari coronam: prius illum attende, et uide nisi in factis dignum inuenis poena. Persecutus ecclesiam dei, qua cruce non dignus est? quae illi puniendo tormenta sufficerent? Non sum dignus, inquit, uocari apostolus. Ego scio quid mihi debebatur: apostolatus mihi, qui persecutus sum ecclesiam dei! Unde ergo apostolus? Sed gratia dei sum quod sum. O gratia gratis data! Inuenit quod puniret, sed fecit quod coronaret. Videte quod sequitur. Gratia, inquit, dei sum quod sum. Nam et ego

Passionis Pauli dies sollemnissimus.

fol. 121

Deus in Paulo inuenit quod puniret, fecit quod coronaret.

apostolus non sum idoneus, quia persecutus sum ecclesiam dei: supplicia expectabam, praemia inuenio. Unde hoc mihi? Quia gratia dei sum quod sum, et gratia eius uacua in me non fuit, sed plus omnibus illis laboraui. Iterum te erigere coepisti? Non autem ego, sed gratia dei mecum. Bene, optime, non iam Saule, sed Paule: non iam superbe, sed parue. Saulus ideo superbiae nomen fuit, quia

Saulus a Saule.

ille rex procerus, et tanto inuidentior, quanto elatior, Saul uocabatur, qui sanctum Dauid persequebatur. Inde iste nomen acceperat: <a> Saule Saulus, congruum nomen persecutoris. Quid postea? Paulus. Quid est Paulus? Modicus, minimus. Recolite uerbum, qui litteras nostis; recolite etiam consuetudinem, qui liberales qui uocantur libros non nostis.

Paulus, modicus.

Paulus modicus est. Post paululum te uidebo [paululum], paulo post te uidebo: paulo post, modico post.

5. Ergo Paulum uidete, iam dudum Saulum, sanguinem sitientem et caedes anhelantem, modo autem Paulum. Ego sum nouissimus apostolorum: prorsus minimus, sed saluberrimus. Fortasse in ueste domini minimus iste fim-

121v brium fuit: hoc mulier illa tetigit, et a fluxu | sanguinis liberata est, in qua erat ecclesiae gentium figura. Ad gentes enim

Fimbrium fuit in ueste Domini.

missus est Paulus modicus cum salute. Denique hoc sciatis, ipsa mulier, quae tetigit fimbriam domini, ignorata est a domino, sed ignoratio domini figura est. Quid enim ille nesciebat? Et tamen, quia illa mulier ecclesiam gentium significabat, ubi dominus praesentia corporali non erat, sed per discipulos ibi erat, ubi fimbria eius tangeretur, ait, Quis me tetigit? Et apostoli: Turbae te comprimunt, et dicis, Quis me tetigit? Et ille: Tetigit me aliquis. Turbae premunt, fides tangit. Fratres, estote de tangentibus, non de prementibus. Quis me tetigit? et Tetigit me aliquis. Ignoranti similis Christus, significans: non mentiens, sed significans: quid significans? Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi. Dic ergo, apostole, imminente passione, laboris inpensor, coronae iam exactor, dic: Ego enim iam immolor, et tempus resolutionis meae in-

stat. Bonum certamen certaui. Quid prodesset certamen, nisi uictoria sequeretur? Dicis quia certasti, dic unde uicisti. Alio loco interroga. Gratias deo, qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Cursum consummaui. Tu cursum consummasti? Recognosce illud: Non uolentis, neque currentis, sed miserentis est dei. Dic aliud, Fidem seruaui. Seruasti, custodisti: sed Nisi dominus custodierit ciuitatem. . . . Ut ergo fidem seruares, ille adiuuit, qui coapostolo tuo, cum quo unum habes passionis diem, dixit, quod in euangelio legisti: Ego rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Exige ergo, paratum est praemium. Dic, Bonum certamen certaui, uerum <est>: cursum consummaui, uerum est: fidem seruaui, uerum est. De cetero superest mihi corona iustitiae, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Exige quod debetur: parata est, prorsus parata est corona tua: sed memento quia dei dona sunt merita tua.

Cum Petro unum habet passionis diem.

Pauli merita Dei dona sunt.

1 Vide Praefat. ad n. LXVII. PAULI] add. IIII. G. 6 primus et nouissimus] ut in Tract. superiori, n. 1; cf. etiam Serm. 298, n. 1: ,Beatus Petrus primus apostolorum, beatus Paulus nouissimus apostolorum; qui rite coluerunt eum qui dixit, Ego sum primus, et Ego sum nouissimus: ad unum diem passionis sibi occurerunt primus et nouissimus.' 12 Iohannes] e ex i corr. 14 infirmitas] cf. Tract. praeced., l. 159: ,Agnouit se humilitas, tremuit infirmitas, confessa est donum dei perfecta caritas.' 24 istam uiam] post. praue corr. ista uia. 25 sectantes] stantes G; emendationi meae fidem facit Serm. 279, 1: ,uiae dei sectatores.' 28 eum] cf. Ps. 2, 4 nec non Augustini Serm. 295, 6: ,anhelet caedem, sitiat sanguinem: Qui habitat in caelis, irridebit eum.' 32 persequeris?] Act. 9, 4. 37 apostolos G. 38 membra] I Cor. 12, 27. 46 sq. pedes . . . portaturos] emendaui ex pes . . . portaturus. calcabat] scripsi; portabat G inepte. 50 bona] Esai. 52, 7; Rom. 10, 15. 51 cantabimus G. 53 eorum] Ps. 18, 5. 55 baptyzandum. Annania] ex Anania corr. 57 tuos] ex Act. 9, 13 non totidem uerbis. quis] scripsi; quid G. 58 Ananias] hoc loco G. interpretatur ouis] Serm. 279, 2: ,Ananias interpretatur ouis.' 61 rapax] Gen. 49, 27. 62 Beniamin] Rom. 11, 1. 64 escas] Gen. 49, 27. aescas 2° loco G. 71 negationem om. G. 72 potestis] I Cor. 3, 1. 2. 73 Annanias] n 2° loco s. l. suppl. inter manus pastoris tremebat] cf.

Serm. 279, 2: ,ut eius nomine audito timeret ouis, etiam sub manu pastoris'; 295, 6: ,trepidat famam lupi infirma ouis, etiam sub manu pastoris.' 80 meo] Act. 9, 15. 16. 81 cornam 90 uror] libere ex II Cor. 11, 26. 27. 23. 28. 29. 98 aeterna] II Cor. 4, 17. 18. quem locum ad idem refert August. Serm. 297, 11. 107 sumministr. 109 non ergo facio iniuriam] uide adnot. crit. ad Tract. praeced., l. 143. 111 suscensere] ita G, quod etiam alias. 109 intercedet 120 mecum] I Cor. 15, 10. 126 iudex] II Tim. 4, 6—8. 133 dei] I Cor. 15, 9. 135 poenam G. 136 quia crucem 140 sum] I Cor. 15, 10; cf. Tract. praeced., l. 150: ,Et unde es apostolus? Sed gratia dei sum quod sum' etc.; item Serm. 298, 4: ,Si persecutus es ecclesiam dei, unde ergo apostolus? Sed gratia dei sum quod sum.' 152 a Saule] praepositionem suppleui. 156 te uidebo] lege adnot. ad Tract. praec., l. 135. paululum] 2° loco ex abundanti, nisi quid forte aliud exciderit. 160 apostolorum] I. Cor. 15, 9. 161 fortasse] emendaui ex forte esse. fimbrium] cuius generis exempla non desunt, hoc loco seruandum existimaui; ceterum ipse cod. infra femininum habet. 171 aliquis] Luc. 8, 45. 46. 173 non deprimentibus G. 176 mihi] Ps. 17, 45. 182 Christum] I Cor. 15, 57. 184 dei] Rom. 9, 16. 186 ciuitatem] Ps. 126, 1 et hic rursus clausulae pendentis exemplum habes. 189 tua] Luc. 22, 32. 190 est] 2° loco om. G.

# DE NATALE SANCTI LAURENTI
## <POST TRACTATUM>

Fratres, propter eos qui confugiunt ad munimentum matris ecclesiae, propter ipsum omnium commune refugium, nolite pigri et segnes esse frequentare matrem uestram et non recedere de ecclesia: sollicita est enim, ne quid indisciplinata multitudo audeat. Ceterum, quantum attinet ad illas potestates, quoniam et leges sunt in nomine dei a christianis imperatoribus promulgatae, quae satis abundeque

Leges imperatorum ad muniendam ecclesiam.

muniant ecclesiam, et ipsi tales uidentur ut non audeant facere contra matrem suam, unde et apud homines culpentur et apud deum habeant iudicium, absit hoc ab eis; nec credimus de illis, nec sic uidemus. Sed ne quid indisciplinata audeat multitudo, debetis frequentare matrem uestram: quia

Haec omnium commune refugium.

sicut dixi, non unius aut duorum hominum hoc est, sed commune refugium. Et qui non habet causam, timeat ne habeat.

Dico caritati uestrae: ad ecclesiam et iniqui fugiunt a facie iuste uiuentium, et iuste uiuentes fugiunt a facie iniquorum, et aliquando ipsi iniqui fugiunt a facie iniquorum. Tria sunt genera fugientium. Boni a bonis non fugiunt, soli iusti iustos non fugiunt; sed aut iniusti fugiunt iustos, aut iusti fugiunt iniustos, aut iniusti iniustos. Sed si uoluerimus discernere, ut tollantur de ecclesia qui male faciunt, non erit ubi se abscondant qui bene faciunt: si uoluerimus permittere ut hinc tollantur nocentes, non erit quo fugiant innocentes. Melius est ergo ut et nocentes in ecclesia muniantur, quam innocentes de ecclesia rapiantur. Tenete ista: ut, sicut dixi, frequentia uestra, non saeuitia, timeatur.

Ubi de iure asyli agitur, non discernendum inter nocentes et innocentes.

1 Vide Praefat. ad n. LXX. LAURENTI] add. num. I. G. 2 POST TRACTATUM] ita exemplo sumpto ex aliis sermonibus allocutiunculam inscripsi, quae antea editis ter septenis huius contionis capitulis nunc primum adiungitur; cui equidem plura uerba in G minio praemissa sunt, sed quae iam legere nemo possit. 6 sollicita] a ex um corr. 10 muniat 11 sq. aput . . . aput 16 causa

# DE NATALE SANCTI CYPRIANI I.

Insignem martyrem Christi, per quem maxime istam rexit, auxit, ornauit atque inlustrauit ecclesiam, hodiernus dies anniuersaria celebratione pas | sionis eius memoriae 133v nostrae, non elapsum reuocat, sed fixum et manentem laetius gratiusque commendat. Oportet itaque nos sermone sollemni in domino laudare animam serui eius, ut audiant mites et iocundentur. Illa quippe anima cum in his moribundis degeret membris, contempsit mortem quandoque uenturam, ut adquireret uitam sine fine mansuram; fideli prudentique consilio perdens quod et retentum periret, ut inueniret quod perire non posset. Temporalis quippe uita si Christo negato retinetur, et ipsa finitur, et sempiterna non inuenitur. Quanto ergo consultius, una neglecta alteram comparare, quam una male dilecta ambas amittere? Hoc est sanctorum martyrum commune consilium, commune commercium, contemnere

Sermo Carthagine habitus.

Sanctorum martyrum commune consilium.

fugientia, ut permanentia comparentur: moriendo uiuere, ne moriantur uiuendo: et semper uiuere semel moriendo, quam bis mori et postea uiuere non merere, mortem quae uentura est differendo, et, cum dilata uenerit, ad uitam quae mansura est minime ueniendo. Hoc est, inquam, sanctorum martyrum commune consilium, commune commercium; hoc a suo praeceptore et redemtore ac domino simul didicerunt, quia omnibus dixit: Qui amat animam suam perdet illam, et qui perdiderit eam propter me, inueniet illam in uita aeterna. Proinde anima cum amatur perit, inueniturque cum perditur: pereat si amat, ne pereat cum amatur. Duobus enim modis intellegi potest quod dictum est, Qui amat animam suam perdet illam: Qui amat animam suam in isto saeculo, perdet illam in futuro saeculo; et, qui amat animam suam in futuro saeculo, perdet illam in isto saeculo. Secundum priorem modum, qui amat animam suam timendo mori pro Christo, perdet illam ne uiuat in Christo; et qui amat animam suam ut uiuat in Christo, perdet illam moriendo pro Christo. Sequitur enim, Et qui perdiderit eam propter me, in uita aeterna inueniet eam. Hic autem qui dixit ‚propter me', hic est uerus deus, et uita aeterna.

Cyprianus docuit de Christo, uixit in Christo, mortuus est pro Christo.

2. Cum ergo hoc sit omnium sanctorum officium, habet iste martyr noster hodie, non solum de se ipso, uerum etiam de pluribus praemium. Christi namque bonum odorem longe lateque diffudit docendo, uiuendo, moriendo: docendo de Christo, uiuendo in Christo, moriendo pro Christo. Qua-

fol. 134

propter, carissimi, cum hic alius quam Christus non possit || intellegi, ubi sponsa ecclesia dicit, Botrus cypri fratruelis meus, per arborem odoratissimam significans flagrantissimam gratiam; profecto sicut in eius recta fide factus est a Christo Christianus, sic in bono eius odore a cypro Cypria-

A cypro nomen habet.

nus. Dicit enim et apostolus Paulus: Christi bonus odor sumus in omni loco. Bonus itaque odor Christi in Cypriano nostro ab ista sede: non quod huic tantummodo ciuitati satis esse<t>, nec solae Africae, cuius haec caput est; sed ita se longe lateque diffudit, ut a solis ortu usque ad occasum

laudetur in eo nomen domini, in quo laudabitur anima eius, ut audiant mites et iocundentur. Quae enim regio in terris inueniri potest, ubi non eius eloquium legitur, doctrina laudatur, caritas amatur, uita praedicatur, mors ueneratur, passionis festiuitas celebratur? Quam multos contra diabolum praeliatores ad exemplum passionis tuba sermonis eius accendit! Quam multi postea, non solum dicta eius legentes, uerum etiam famam mirantes, a quo discendo amauerunt, amando secuti sunt! Alios itaque docendo praemisit imitandos, alios patiendo praecessit imitaturos. Contra doctrinam Christi oblatrantium ora confudit: uirgines Christo pulchras, non corporibus et coloribus, sed moribus red<di>dit: zeli et liuoris confregit aculeos, et uenena conpressit: de dominica oratione salubriter disputans, ut quod postulamus intellegamus: et fecit lapsis libellum, pastoraliter consulens clementerque conpatiens, et contemnentes ad humilitatem doloris deposuit, et dolentes de profundo desperationis erexit: patientiam laudauit, persuasit, exhibuit: hereticorum frontes unitatis demonstratione et praedicatione contriuit: eo de mortalitate tractante, et inmortalis uitae gaudia commendante, in animis fidelium omnis morientium metus et maerentium luctus erubuit: idolorum uanissimum et perniciosissimum cultum etiam litterarum saecularium attestatione conuicit: ad elemosynarum maximam utilitatem et lucra caelestia, terrena auaritia confutata, christianos animos inflammauit. Et quid plura dicam? Multi usquequaque habent magnum corpus librorum eius. Sed nos uberiores gratias domino agamus, quod habere meruimus | sanctum 134ᵛ corpus membrorum eius: ubi preces nostras domino, cui placuit, et cuius gratia talis extitit, affectu ardentiore fundamus, et eum in domino laudemus, per quem dominum sic laudatum esse gaudemus.

Ubique terrarum eius scripta leguntur, festiuitas celebratur.

Librorum eius indiculus texitur.

1 Vide Praefat. ad n. LXXII. NATALE] hic quidem compendio scriptum; at ubi plene, constanter natale, nusquam natali habetur. 2 istam rexit... ecclesiam] habitus ergo Carthagine sermo est, quemadmodum serm. 311 et 312; cf. infra l. 44 ‚ab ista sede; non quod huic tantummodo ciuitati . . .'; l. 72 ‚habere meruimus sanctum corpus membrorum eius'. 3 ornabit... inlustrabit G. 8 iocundentur] Ps. 33, 3 quem uersum in sacris ecclesiae Carthaginiensis de s. Cypriano frequentatum putauerim ex Serm. inter Dionysianos 14, n. 1 et 5, itemque Serm. 312, n. 1 et 2; cf. etiam infra l. 42 et 65. Insuper notare iuuat translationem, qua hic utitur Augustinus, non nisi in opere De serm. domini in monte, lib. 2, n. 31. 38. anno circ. 393/394 scripto adhiberi: unde quis haud absurde coniciat ad eius episcopatus primordia hunc pertinere tractatum, quod ex ipso dicendi genere equidem suspicatus sum. 9 menbris 11 retendum 18 quamuis mori 25 illa 26 aeterna] Ioh. 12, 25 cum Marc. 8, 35 permixt. 28 duobus e. modis intellegi potest etc.] cf. locum notissimum Tract. 51 in Ioh., n. 10. 37 aeterna] I Ioh. 5, 20. 45 meus] Cant. 1, 13. 47 a cypro Cyprianus] puerilius sane quam facetius; at ita certe August. Serm. 312, 3. 49 loco] II Cor. 2, 15. 14 et sic fere alias ambos uersus in unum coniungit Aug. 51 esse. solae] cf. H. Rönsch, Itala u. Vulg., p. 276. Africae, cuius haec caput est] Aug. De bapt. cont. Donat. l. 2, n. 16: ‚in Africae capite et notissima ciuitate Carthagine'. 53 domini] cf. Ps. 112, 3. 54 Quae enim regio in terris etc.] Serm. 310, 1: ‚Quis enim hodie, non dicam in hac nostra ciuitate, sed plane per Africam totam transmarinasque regiones, non Christianus solus, sed paganus aut Iudaeus aut etiam haereticus poterit inueniri, qui non nobiscum dicat natalem martyris Cypriani?' 55 inuenire 58 tuba sermonis eius accendit] Serm. 312, 4: ‚ut tantae uocis tuba . . . ad prosternendum diabolum . . . martyres excitaret'. 60 uerum etiam famam mirantes] Serm. 310, 4: ‚innotuit regionibus multis, partim per famam fortissimae passionis, partim per dulcedinem suauissimae lectionis'. 63 ora confudit] hic, ut uides, opuscula Cypriani percenset Augustinus inde a libro ‚Ad Demetrianum'. 64 reddidit] reddit G: lib. ‚De habitu uirginum'. liboris G: lib. ‚De zelo et liuore'. 67 intellegamus] lib. ‚De dominica oratione'. 70 erexit] lib. ‚De lapsis'. laudabit G. exhibuit] lib. ‚De bono patientiae'. 71 contriuit] lib. ‚De catholicae ecclesiae unitate'. 72 eo] ex et emendaui; alibi quoque in codice uerbi gratia fol. 6 et pretio pro eo pretio positum animaduerti. inmortalitatis. 74 erubuit] lib. ‚De mortalitate'. 76 conuicit] lib. ‚Quod idola dii non sint'. aelemosynarum. 78 inflammabit G: lib. ‚De opere et eleemosynis'.

# DE NATALE SANCTI CYPRIANI II.

Sollemnitatem sanctam eius martyris hodie celebramus, qui multos ante se martyres misit eloquio, multos post se eduxit exemplo. Quid ergo tantae rei dignum tanto illi proferamus, nisi ut non expectet laudari a nobis, sed non cesset orare pro nobis? Sumus enim, et si non in eo merito quo hic fuit, in ea certe uita in qua et ipse laborauit. Gessit enim uitam mortalem, et modo ****** gerens inpetrare meruit immortalem. Iste autem modus mortalem uitam gerendi, et ad immortalem perueniendi, non ab ipso sibi praescriptus est, sed a duce, rege, imperatore, praecursore, a<d>iutore, saluatore, liberatore, omnium martyrum coronatore, domino scilicet deo et saluatore nostro Iesu Christo, unico filio dei ut crearemur, et filio hominis ut recrea<re>mur; ab eo qui mentiri nescit, qui nec fallit nec fallitur, praescripta est regula in qua est constitutus modus gerendi mortalem uitam et perueniendi ad aeternam. Hanc beatus Cyprianus nouerat et docebat: nec docebat tantum, sed et faciebat; eo demonstrans non se fallere quos docebat, quia docendo uiuebat, et uiuendo faciebat. Quid ergo dominus? quemnam modum constituit gerendi mortalem uitam, et meritum inpetrandae immortalis uitae? Modo audiuimus, cum sanctum euangelium legeretur: Qui uult me, inquit, sequi, neget seipsum. Quasi obscurum uideretur, addidit adhuc caelestis magister, et dicit: Qui amat animam suam, perdet eam; et qui perdiderit eam propter me, inueniet eam. Iste est modus gerendae mortalis uitae, ad inpetrandam uitam immortalem; de hoc modo, fauente ipso cuius sollemnitatem agimus, et orante pro nobis, aliquid a nobis audiat caritas uestra. [Magna est enim merces proposita, fratres dilectissimi.] Certe sollemnitatem celebramus beatissimi martyris: ad hanc festiuitatem omnium fratrum sororumque multitudo conuenit, et gaudent celebrantes natalicia || martyris. fol. 135
Si natalis est, natus est; ut nasceretur, conceptus est. Ubi conceptus est? In hac uita qua natus est. Hanc uitam omnes

Lectum erat euangelium Marc. 8, 35 cum Ioh. 12, 25 permixtum.

Ad festiuitatem martyris fratrum sororumque multitudo conuenerat.

nouimus plenam tribulationibus: illa<m>, in qua hic renatus est beatus Cyprianus, bene nouimus; eius tamen natalicia celebramus. Et quis est nostrum, qui natalicia sua, quae celebrat in domo sua, ex parua parte audeat comparare his nataliciis beatorum Martyrum? Quicumque hoc fecerit, se ipsum sacrilegum iudicabit.

Acta proconsularia de Cypriano recitata.

2. Videamus ergo quid sit, abneget se; magna est enim merces proposita, fratres dilectissimi. Audiuimus confessionem beatissimi martyris Cypriani: „Ego unum deum colo, qui fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt.“ Tacet deus, sed loquuntur opera dei: ecce cui deo, ecce quali deo, immo non quali et tali, sed deo, ecce cui credidit Cyprianus. Quid est ergo, abneget se? Nega te. Quid est, nega te? Cogeris negare deum? nega te, et noli negare deum. Noli istam uitam tuam temporalem amare, et contra uitam aeternam laborare; immo cede uitae aeternae, ut tu <aeternus> efficiaris: abnega te, ut deum confitearis: nega te, homo, ut angelus efficiaris: nega te, homo mortalis, ut confessus deum in aeternum uiuere merearis. Ecce uitam temporalem amas: non uis eam negare, et deum uis negare. Recedit a te deus, quem negasti, quem confiteri noluisti; et habebis uitam temporalem, quam negare noluisti. Videamus ergo quam diu habiturus es istam uitam. Ecce crastinus dies, et post crastinum alter crastinus. et post multos crastinos uenit finis. Et quo ibis? quo exibis? Nempe ad deum, quem negasti. O miser, infelix! et deum negasti, et uitam temporalem, uelis, nolis, perdidisti. Vita enim ista, fratres dilectissimi, uelimus nolimus, transit, currit: abnegemus ergo nos ipsos in hac temporali uita, ut in aeternum uiuere mereamur. Abnega te, confitere deum. Amas animam tuam? perde illam. Sed dicis mihi: Quomodo quod amo perdo? Facis hoc in domo tua. Amas frumentum, et spargis frumentum, quod in horreum tanta diligentia reconderas, quod tanto labore messis et triturationis purgaueras; iam repositum, iam mundatum, ueniente sementis tempore pro-

Quomodo quod amamus perdimus.

135v feres, sparges, | obrues, ne uideas quod spargis. Ecce

amando frumentum, spargis frumentum: amando uitam, funde uitam: amando animam tuam, perde eam; quia cum perdideris eam propter deum in hoc tempore, in futuro inuenies eam in uitam aeternam. Amando ergo uitam, funde uitam.

3. Durum est, molestum est, triste quoddam est: conpatior tibi, quia conpassus est nobis et dominus deus noster. Se enim in te, et te in se ostendit, cum diceret, Tristis est anima mea usque ad mortem. Passus est pro nobis, patiamur pro illo: mortuus est pro nobis, moriamur pro illo, ut in aeternum uiuamus cum eo. Sed forte dubitas mori, o homo mortalis, quandoque moriturus, quia mortalis natus es. Vis non timere mortem? Pro deo morere. Sed forte propterea mori times, quia mors tristis res est. Messem considera: frigus habet tempus seminis; sed si agricola recusauerit frigore [non] contristari in hieme, non gaudebit aestate. Respice si propterea seminare piger es, quia tristitia frigoris in sementi est. Attende psalmum: Qui seminant in lacrimis, in gaudio metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Hoc modo cantabamus. Quod cantauimus faciamus: seminemus animas nostras hoc tempore, sicut frumentum in hieme, ut metamus eas in aeternum tempus, sicut frumentum in tempus aestiuum. Ita sancti martyres, ita omnes iusti, laborantes in terra, flentes miserunt semina sua: fletu enim abundat haec uita. Et quid sequitur? Venientes autem uenient in exultatione, portantes gremia sua. Semen tuum, fusio sanguinis: gremium tuum, corona percepta.

Cantatus erat Psalmus CXXV.

4. Hoc credidit martyr noster, hoc docuit antequam faceret; hoc fecit, quia iam docuerat. Quibus locutus est beatus Cyprianus, sermone solo eos docuit; nos geminatam tenemus doctrinam ipsius: tenemus sermonem in scriptura, exemplum in memoria. Hortetur ergo nos, et oret pro nobis; impetret nobis talem uoluntatem a domino, de qua ipse in sua passione locutus est, dicens: „Bona uoluntas, quae deum nouit, mutari non potest.“ Et cum ei diceret iudex

minans, „Consule tibi“, ille iudex odire, non amare, uidebatur homine<m>, ut diceret homini mortali, Consule tibi: fol. 136 id est, consule || tibi, ut nunc paucis diebus uiuas, et in aeternum moriaris. Sanctus uero Cyprianus non attendit ad iudicem hominem, potestatem habentem in terra; sed attendit ad iudicem deum, qui fecit caelum et terram. Beatus

Iterum ex Passione Cypriani.

ergo Cyprianus, nisi negaret se, nisi amans animam suam perderet eam, ut perdendo inueniret eam, diceret ei: Consulo plane, et ago gratias, quia das locum consulendi, aut dilationem cogitandi; aut certe, Nunc accipe deuotionem meam, suscipio cerimonias principum. Diceret hoc, non negaret se; et peruerse amando animam suam, non perderet eam: id est, non seminaret quod meteret. Nunc uero contemnens frigus hiemis, laetitiam cogitans aestatis, respondit homini, tamquam aduersario quem uidebat, conuincens eum quem non uidebat. Quod enim diabolus per illum iudicem agebat, ipse iudex ignorabat: sed sanctus Cyprianus sciebat. Respondit ei, dicens: „Fac quod tibi praeceptum est.“ Praeceptum hoc sanctus martyr altius intendebat, memor domini dei sui, qui stans ante Pontium Pilatum, cum ille diceret inflammatus, Nescis quia potestatem habeo dimittendi te, et potestatem habeo occidendi te? respondit ei uerax et ueritas: Non haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. Reuera, fratres, non enim quia imperator hoc praeceperat, ideo patiebatur sanctus Cyprianus, et non quia ille praeceperat, qui nobis talem martyrem praerogabat. Memor ergo domini dei sui, respondit iudici: „Fac quod tibi praeceptum est; in re tam iusta nulla est consultatio.“ De rebus dubiis consuli solet: si adhuc consulo, adhuc dubito. In re tam iusta nulla est consultatio. Quae est ista res iusta? Iustum est, ut sequar martyres, quos loquendo feci ad martyrium praecedere: non est iustum, ut derelinquam eos, qui me praecesserunt. Si enim non fecero quod docui, illis coronatis ceteri refrigescent. Iustum est ergo impleam quod docui, et implendo doceam quod impleui.

Fecit hoc beatus Cyprianus. In re tam iusta nulla est consultatio: accepit sententiam, meruit coronam. Iudex quem afflixerit uidit, quo miserit non uidit; quia ut uideret, dignus non fuit. Quid ergo de tantis donis dei agamus, fratres dilectissimi, | nisi quod ipse martyr dixit? In ultimo enim 136v
cum diceret iudex „Tascium Cyprianum animaduerti gladio placet", Cyprianus dixit, „Deo gratias". Et nos ergo in hac sollemnitate positi, uidentes ista oculis fidei, et sperantes, quo ille festinauit, nos quoque esse uenturos, dicamus omnes, Deo gratias. Conuersi ad dominum.

1 Vide Praefat. ad n. LXXIII. 4 tanto] scripsi; tanta G. 7 laborabit 8 modo] uacat hic spatium sex litterarum. 11 aiutore 14 recreamur 15 fallet 20 quemnam modum] conieci; quem ammodum G. 23 se ipsum] Marc. 8, 34. 24 addidit] pro addit? 26 eam] Ioh. 12, 25 cum Marc. 8, 35 permixt. 30 Magna est e. m. p. f. dilectissimi] eadem recurrunt infra l. 42, ut puto perperam aut hic anticipata, aut ibi iterata. 36 illa G. 45 sunt] cf. Acta proconsul. edit. Hartel, p. cx, 16. 51 caede 52 aeternus] suppleui ex coniect. 56 recedit] pro recedet? 59 post crastinus... multos crastinus 65 confiteri deo. confiteri deum contigue G. 71 obruis 80 mortem] Matth. 26, 38. 87 non] 1° loco ex abundanti. 91 sua] Ps. 125, 5. 6. 92 cantabimus 94 aestibum 98 sua] Ps. 125, 6. 107 mutari] immutari Acta, ap. Hartel. potest] posset G. 109 hominem] m in fine suppleui. 132 desuper] Ioh. 19, 11. 143 implebi. 146 quia ut] qui autem G. 149 Cyprianus. gladio animaduerti Hartel. 152 festinabit G. 153 Conuersi ad dominum] Notissimum praefatiunculae exordium, qua Augustinus passim auditores post contionem ad orationem inuitat.

# DE NATALE SANCTI CYPRIANI III.

Dominus et saluator noster Iesus Christus, in quo spes nobis est salutis aeternae, ad hoc, cum esset deus, homo factus est, ne homo, longe factus a deo, relictum se in longinquo et desertum putaret. Mediator ergo ille factus ita tempus longinquitatis, quo separabamur a deo, impleuit quodammodo, ut per ipsum non solum longe non remaneremus, uerum etiam propinquare

possemus. Nihil enim tam coniunctum quam Verbum et deus; iterum nihil tam coniunctum quam caro et homo. Cum ergo Verbum et deus longe esset a carne et homine, Verbum factum est caro, et coniunxit hominem deo. Hic ergo dominus et saluator noster, filius dei, Verbum dei factum caro, non conuersione in carnem, sed assumtione carnis, credentes in se docuit uiuere, docuit mori: uiuere sine cupiditate, mori sine timore. Docuit uiuere, ne in aeternum moriamur: docuit mori, ut in aeternum uiuamus. Ex eorum itaque numero, quos hoc docuit, eminuit beatus Cyprianus: sic uiuens tamquam sciens se moriturum, et sic moriens tamquam certum habens resurrecturum; gemina gratia commendatus deo, ea utique gratia, quam sumpsit ab illo cui placuit. Placuit autem illi ex dono eius: quod enim ad ipsum attinebat, unde displiceret habebat, non unde placeret. Sed quemadmodum scriptum est, Ubi abundauit peccatum, superabundauit gratia. Ille ipse ueridicus et uerax martyr seruus dei, uerax munere dei, confitetur in scripturis suis, qualis antea fuisset: non obliuiscitur qualis fuerit, ne ingratus sit ei, per quem talis esse cessauit. Gemina ergo gratia commendatur deo, episcopatu et martyrio. Episcopatus eius defendit et tenuit unitatem; martyrium eius docuit et impleuit confessionem.

Verbum caro factum, non conuersione in carnem, sed assumtione carnis.

Episcopatus Cypriani defendit unitatem, martyrium docuit confessionem.

2. O quam magna, quam mirabilis est fides! Aliquid magnum est fides, et ubi est?‖Videmus enim nos inuicem facies nostras, formam nostram, uestes nostras, uerba denique nostra uocesque aure percipimus; fides ubi est, de qua nunc loquor? demonstretur oculis nostris. Ecce fides non uidetur: et tamen totam istam multitudinem, quae hic in domo dei uidetur, ipsa fides attraxit, quae non uidetur. Magna ergo fides, sicut et dominus in euangelio dicit: Secundum fidem tuam fiat tibi. Item ipse dominus deus noster laudans fidem quorumdam ait: Non inueni tantam fidem <in> Israhel. Non ergo mirum est, si per fidem quae non uidetur contemnitur uita quae uidetur, ut acquiratur uita quae non uidetur. Hac fide plenus erat sanctus Cyprianus: hac fide implentur non falsi sed ueri Christiani, qui ex toto

fol. 137

Quam magna fides in Cypriano.

corde et fide inconcussa deo credunt. Heretici autem et Donatistae, qui se ad Cyprianum falso iactant pertinere, si episcopatum eius attenderent, non se separarent; si martyrium, non se praecipitarent. Non est omnino discipulus Christi, non est comes Cypriani, hereticus in heresi separatus, aut Donatista in morte praecipitatus.

3. Consideremus, fratres dilectissimi, docentem Christum, sequentem Cyprianum; et istos de transuerso clamantes se esse Christianos, se ad Cyprianum pertinere. Audite Christus quid docet: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Non est Christi discipulus Donatista aut hereticus; non est Christi discipulus pacis inimicus. Videte utrum ipse dominus deus noster hoc dixerit et non fecerit, qui dixit, Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Iudam diabolum inter discipulos suos tolerauit, non separauit: admissus est a<d> cenam domini, cum iam accepisset pretium domini. Vendere enim Christum uoluit, redimi a Christo noluit. Ita docuit dominus et saluator noster Iesus Christus, cauendam esse separationem, et concisionem dirimendam, pacem et unitatem amandam. Quam pacem quodammodo ultimo testamento relinquit suis discipulis, nostris apostolis. Iturus enim ad patrem dixit, Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis; et Iudam a se non separauit, qui non posset errare, si uoluisset eum separare: neque enim separaret innocentem pro nocente, aut separando nocentes desereret innocentes. Sciebat ille quid faceret, et non fecit: non fecit separationem, qui praecepit pacem amandam. | Sciebat ille quid faceret, et non 137v
fecit: non fecit qui sciebat, ne auderet facere qui nesciebat. Iudas se ipse separauit a domino. Toleratus est usque ad extremum: osculum pacis dedit, qui pacem non habebat; et tamen osculum pacis accepit. Osculo illo non copulabatur, sed condemnabatur; ita enim ei dominus osculum dedit, tamquam diceret ei: Ecce quod habeo, ecce quod non habes. Caput enim erat Christus cantantis corporis sui et dicentis: Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. In illo

In Iuda usque in finem tolerato commendauit Dominus cauendam esse separationem.

ergo tolerato usque in finem uehementer commendauit dominus Iesus Christus, non esse faciendam separationem, sed unitatem esse diligendam, pacemque seruandam.

4. Hoc de pace seruanda propter hereticos diximus, qui se ab ecclesia catholica separauerunt, et cotidie se separant, et falso se catholicos uocant. Hoc ergo de pace domini praeceptum commemorauimus propter hereticos. Videamus autem et de martyrio quid dicit dominus; commemorare debemus, et propter Donatistas, qui se praecipitant, magisterium commendandum est domini. Ait enim diabolus domino, cum eum temptaret — temptabatur autem dominus, ut nos disceremus resistere temptatori — dixit ergo ei diabolus: Si filius dei es, mitte te deorsum. Assumserat enim eum super pinnam templi; dominum suum non agnoscebat, et tamquam hominem praecipitium docebat. Hoc nesciens in uero Christo temtabat, quod falsis Christianis persuadere praeparabat. Donatistae enim non falsi Christiani, sed omnino Christiani non sunt, qui quod suggestum est a diabolo audiunt, quod responsum est a Christo non audiunt. Quid enim dominus magister et saluator noster diabolo talia suggerenti respondit? Redi retro, satanas, scriptum est enim: Non temptabis dominum deum tuum. De scriptura quippe diabolus suggessit, et dominus de scriptura respondit. Dixerat enim diabolus domino: Quoniam scriptum est, Angelis suis mandauit de te; in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Praecipita te, inquit, et, si filius dei es, angeli te suscipiunt: quid times? Poterat dominus et iactare carnem suam, et mori non sinere; sed quod praesenti Christo diabolus suggerebat, Christus futuros christianos talia non docebat. Hoc enim et Donatistis diabolus suggerit dicens: Praecipitate uos, angeli uos suscipiunt; tali morte non itis ad poenam, sed pergitis ad coronam. Christiani
fol. 138 essent, || si aurem praeberent Christo, et non crederent diabolo, qui eos primo et a pace ecclesiae separauit, et postea praecipites dedit. Quaerimus ab eis, et dicimus: Si mors

uoluntaria uos delectat, et pulcrum putatis nullo urguente inimico, nullo aduersario occidente sponte mori, quare ad praecipitium cito curritis, ad laqueum numquam? Est in facili alia mors, magisque suspendium laquei seruat integra membra morientis, quam praecipitium quod eligitis: cur ergo non uos in laqueo suspenditis, quando mori uultis? Respondent: Absit a nobis, anathema sit laqueus; Iudas enim traditor laqueo se suspendit. O miseri et infelices, quae est ista dementia, nolle facere quod traditor fecit, et facere quod magister traditoris diabolus eos docuit? Iudas ut traderet Christum, sicut scriptum est, *satanas intrauit in cor eius*: qui illi persuasit ut Christum traderet, ipse illi persuasit ut laqueo se suspenderet. Paenituit quippe eum quod tradiderit sanguinem iustum, sed paenitentia eius spem non habuit: paenituit, sed desperauit, indulgentiam se accepturum esse non credidit. Non uenit ad eum quem tradiderat, et ueniam petiit: ueniam non petiit, liberationem non inplorauit, eius se redimendum sanguini non commendauit. Neque enim esset dominus in Iuda crudelis, qui fuit misericors in Iudaeis. Iudas uendidit Christum occidendum, Iudaei emerunt Christum occidendum. Vis nosse quia parceret uenditori? Rogauit pro emptoribus; pendens in cruce dixit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Illi autem qui crucifixerunt Christum, qui permanere in illo peccato uoluerunt, perierunt, quia paenitentiam agere noluerunt; de indulgentia desperauerunt, ueniam non meruerunt. Si qui autem ipsorum ad ipsius Christi indulgentiam cucurrerunt liberandi, ad cuius sanguinem fundendum cucurrerunt a diabolo incitati, paenituerunt, et indulgentiam meruerunt. Baptizati sunt: sanguinem Christi fuderunt saeuientes, biberunt credentes.

Dementia Donatistarum, qui praecipitium eligunt, a laqueo abhorrent.

5. Diabolus ergo, qui persuasit hereticis separationem, Donatistis praecipitationem, ipse persuasit Iudae et traditionem et desperationem et laqueum. Tu ergo Donatista, qui te uis occidere, qui uitas tra|ditoris laqueum, quare non 138v
uitas diaboli praecipitium? Diabolus persuasit Iudae, ut

sibi collum ligaret; ipse est qui suggessit domino, ut se praecipitaret. Ergo diabolum in utroque uitate: sicut in laqueo diabolum uitatis, ita in praecipitio diabolo consentire non debetis. Suggerens quippe diabolus praecipitium quid audiuit a domino? Redi retro, satanas. O Donatista, hoc dic diabolo, quando tibi suggerit praecipitium; qui etiam uos impleuit, ut praecipitati colamini. Reuera enim, fratres, et ipsi se praecipitant, et a suis peruersis populis praecipitantur. Illi sunt homicidae ampliores, qui

Corpora praecipitatorum cum honore collecta.

corpora praecipitatorum cum honore colligunt, qui praecipitatorum sanguinem excipiunt, qui eorum sepulchra honorant, qui ad eorum tumulos se inebriant. Illi enim uidentes huiusmodi honorem praeberi praecipitatis, inflammantur alii ad praecipitium; illi super eos inebriantur uino, illi inebriantur furore et errore pessimo. Contra hos beatus Cyprianus, Christi commendans pacem, docens passionem. Utrumque in eo attendit<e>: pacem tenuit in unitate, martyrium tenuit in confessione. Nam et ipse dominus noster Iesus Christus utique pati uenerat, et praedixerat se passurum, et non redimeremur nisi passus esset; etiam dixerat: Potestatem habeo ponendi animam meam, et sumendi eam. Nemo tollit eam a me; ego ipse eam pono a me. Et de patre dictum erat: Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Et de ipso domino nostro Iesu Christo: Qui me dilexit, et tradidit seipsum pro me. Cum ergo ideo uenerit ut traderet eum pater impiis ad redimendos nos, et tradid<er>it semet ipsum impiis ad redimendos nos, post cenam tamen datam discessit in montem, fugit oculos persequentium; ueniri ad se uoluit, non se ultro intulit. Attende imitantem Cyprianum.

Exemplo Christi Cyprianus non se ultro persecutoribus intulit.

Audistis, cum eius passio legeretur, eum dixisse proconsuli: ‚Cum disciplina prohibeat, ut se quisque offerat . . .‘ <En> quemadmodum ille patiendi nouerat disciplinam. Utique erigebat ad passionem: non tamen praecipitabat, non inpellebat, ut se ultro offerrent. Et ad ipsum beatum Cyprianum mittitur, et adducitur, non se tamen ultro obtulit. Donatistae autem

ultro se praecipitant, et ueniunt ad homines, et dicunt: ‖ Occidite nos. Illi dicunt: Non uos occidimus. O insani, fol. 139 o peruersi! Ad hunc arti<cu>lum uenis: martyrem te esse ideo dicturus es, ut facias aut homicidium aut homicidam; ut et ad homines ueniant, et eos in se arment, et terrendo occidere cogant. Qui si sanum cor haberent, et praecipitium horrerent, et homicidium non facerent; sed hoc faciunt, quod eos pater suus diabolus docuit, et magister suus Donatus instruxit. Contra quos beatus Cyprianus et unitatem et pacem fortiter defendit.

6. Mittitur ergo ad eum: adducitur ad proconsulem, stat ante tribunal iudicis hominis. Secesserat enim in hortos suos causa persecutionis, sicut dominus post cenam in monte Oliueti. Dominus in monte Oliueti oleum pacis rigauit et fouit; Cyprianus in hortis granum sinapis nutriebat. Ille inde adductus stetit corpore ante proconsulem, corde autem ante saluatorem; potestatem humanam honorabat, diuinam gloriam non negabat. Primo inde in exilium missus est. Christum confessus est, perrexit ad exilium; inde <e>ductus ad martyrium adductus est, tamquam sarmentum ad falcem, non amputationis, sed purgationis. Dixit enim dominus: Ego sum uitis, uos estis sarmenta, pater meus agricola. Omne sarmentum, quod in me dat fructum, purgat illud pater meus, ut maiorem fructum afferat; et omne sarmentum, quod in me non dat fructum, excidet illud, et arescit, et in igne<m> mittetur. Attendite ergo sarmentum purgatum, martyrem Cyprianum; attendite sarmenta amputata, heretici et Donatistae. Quid uos ad istum dicitis pertinere, ad istum ferentem fructum pacis et unitatis, purgatum falce martyrii ad percipiendam coronam aeternae salutis? Quid uos huic comparatis, heretici et Donatistae, separatione concisi, praecipitatione coinquinati? Stat beatus Cyprianus, Christum confitetur, non consentit ad id quod cogitur; accipit iudic<i>ariam sententiam temporalem, fit cum Christo iudex in aeternum. Accipit sententiam, et ‚Deo gratias' recte, quia recte confessus est. O insani Donatistae!

,Deo gratias' Cypriani, ,Deo laudes' Donatistarum.

o rabidi! ,Deo gratias.' Cypriani celebra<re> se dicunt natale; ,Deo laudes' ipsorum omnes uiri Christiani formidant. Congregati enim sunt Donatistae ad omnia scelera sua; ut 139v se praecipitent, ,Deo laudes' | clamant: in ore ,Deo laudes', in factis *deo odibiles*. Itaque quisquis tunc stans a longe Christianus catholicus audierit ,Deo laudes', iam contremiscit, iam quaerit qua fugiat, ne praecipitationes ipsorum uideat. Ecce quomodo Donatistae amaricauerunt laudes dei.

7. Sed nos attendentes magisterium Christi, exemplum Cypriani ponamus in cordibus nostris, deprecantes dominum deum, adiuuantibus etiam orationibus sanctorum, ut tales homines non timeamus, et eis non taceamus de fide et spe quae in nobis est. Confiteamur ergo Christum, et homines non timeamus, neque timendo taceamus. Nam et beatus Cyprianus inter persecutores et gentiles uitam agens, cum esset inter idolorum cultores, potestatem imperii temporalis

De libro Cypriani ,Quod idola dii non sint'.

non timuit, neque tacuit quod idola dii non erant. Non solum in ecclesiis non tacuit, sed et in scripturis ostendit. Numquid dixit, Attendam tempora: qui imperant, idola adorant: parcam confundere illos, quamuis temporales, tamen imperatores? Numquid tacuit? numquid pastor bonus uidens lupum fugit? Quid enim prode est, si adsit pastor corpore, fugiat corde? Qui enim timendo tacet, corde fugit. Contra enim deus diceret ei: *Speculatorem posui te*; diceres, non taceres: sed tacuisti, ne occidereris. Nonne ego dixeram, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere*? Ecce cum times morte<m> carnis tuae, fecisti tot mortes animae tuae. Ergo beatus Cyprianus non tacuit, neque hereticis, neque Donatistis, neque ipsis imperatoribus. Dixit, et securus dixit, certusque in domino deo suo dixit, non esse deos daemones. Dicimus et nos, non esse hereticos martyres, non esse martyres circumcelliones. Beatus Cyprianus non timuit daemonum adoratores: nos non timeamus hereticorum collectiones, non timeamus praecipitatorum congregationes. Oremus tantum ad dominum animo, ut consilium tacendi nemo habeat. Et si nos

propter fidem nostram occidant, dicamus: Deo gratias; et si non nos occidant, quantum est quod hic uiuituri sumus? Et si ad ultimos canos perueniamus, quantum est? Numquid non sumus morituri? Numquid propter paucos dies uitae huius quiescere debet ministerium cordis et linguae nostrae? Absit. Sed et si ista uita nostra propter hoc ministerium necessaria est caritati uestrae, a domino eam inpetrate; silere non possumus. Potestis rogare deum, ut, si adhuc neces||sarii uobis sumus, conseruet nos uobis, et uos nobis; ipse potens est conseruare omnes nos a minis, ab inprobitatibus, ab insidiis omnium inimicorum, a peruersitatibus omnium hereticorum; quibus quia bene uolumus, et conuerti eos uolumus, ipse nouit qui inspector et rector cordis nostri est. Sed retribuent forte illi nobis mala pro bonis. Numquid modo fieri coepit, ut seruis dei retribuantur mala pro bonis? Antiqua res est, extant exempla: ne<c> cessabit hoc, ne<c> cessabit usque in finem; et iam in ipso fine saeculi sumus.

Augustinus propter fidem mori paratus.

fol. 140

Semper seruis Dei retributa mala pro bonis.

8. Itaque, fratres mei, obtestor caritatem uestram, ut firmum et paratum cor habeatis in deo. Et oremus omnes ad deum, ut quomodo scit dominus ducat nos, et custodiat uias nostras, et corporales et spirituales; nihil enim continget nobis neque uobis, quod ille noluerit. Ne autem putetis uacare posse orationibus sanctorum pro omnibus nobis apud deum; quorum orationibus etiam orationes nostrae et uestrae non erunt inanes apud deum. Exemplum uobis dabo de sancta scriptura. Tabitha uidua mulier uiduas uestiebat: contigit ut moreretur, ad Petrum apostolum missum est, uenit. Demonstratae sunt ei tunicae, quas illa propter pauperes texerat. Commotus est misericordia dominus: exaudiuit Petrum, uiduam bonam operariam reddidit luci. Sicut ergo illa orationibus uiduarum a morte reparata est, ita et nos orationibus beati Cypriani omniumque sanctorum potens est Dominus ab omni malo [nos] liberare.

Confidit Augustinus in sanctorum pro se orationibus.

1 Vide Praefat. ad n. LXXIV. CYPRIANO G. 6 ita tempus] conieci; inter tempus G. 7 implebit 11 esset] scripsi; est G.

12 coniuncxit 24 abundabit . . . superabundabit. 25 gratia] Rom. 5, 20. 28 cessabit 33 uerba d. nostras 39 tibi] Matth. 9, 29. 41 Israhel] Matth. 8, 10; in om. G. 42 ut acquiratur] emendaui ex uitaquiratur 47 martirium 49 separatur 55 uobis] Ioh. 14, 27. 57 dixerat 60 tolerabit n. separabit. ammissus est a cenam 64 dirimendam . . . amandam] m in fine s. l. suppl. 65 testamento]o ex u corr. 68 separabit... noluisset 74 separabit 80 pacificus] Ps. 119, 7. 81 commendabit 86 falsos se 93 deorsum] Matth. 4, 6. 103 tuum] ex Matth. 4, 10 et 7 conflatum. 107 tuum] ibid. 6. 113 Christiani]s in fine eras. 115 separabit 118 appraecipicium 120 menbra 122 illaqueo 127 intrabit eius] Ioh. 13, 27. 131 desperabit 133 inplorabit 134 commendabit 139 faciunt] Luc. 23, 34. 146 baptyzati 152 Diabolus] pronomen qui hic deesse suspicor. 154 in utrumque 159 impleuit] pro impellit?sed uide supra l. 127. 168 commendantis . . . docentis G. 169 attendit. 174 a me] Ioh. 10, 18. 176 eum] Rom. 8, 32. 178 pro me] Gal. 2, 20. 179 sq. arremendos . . . tradidit 181 asse 184 et cum disciplina prohibebat G; cf. Acta ap. Hartel CXI, 4. en] conieci ex praeced. et superfluo; om. G. 186 appassionem 188 optulit 191 arti|lum. 192 homicidam] m in fine s. l. suppl. 200 in hortos suos] Acta ibid. l. 19: ,in suis hortis manebat.‘ 204 proconsulem . . . saluatorem] m s. l. add. 207 inde ductus G. 210 agricola] ex Ioh. 15, 5 et l. ut supra Tract. I, l. 284. 211 illum. 214 in igne. mittetur] ex Ioh. 15, 2 et 6 confl. 218 falcem m. appercipiendam 222 iudicariam G, ubi aeque iudiciariam siue iudicatoriam coniectare possis, nam utroque adiectiuo utitur Augustinus. 223—232 Accipit sententiam . . . ipsorum uideat] totum locum coniciendo restituit R. Reitzenstein in opusc. ,Ein donatistisches Corpus cyprianischer Schriften‘ (Gesellschaft d. Wissenschaften Göttingen, Philol.-histor. Klasse. 1914, p. 89). 223 et Deo gratias] suppl. dixit Reitz., at forsitan et pro ait scriptum fuerit. 225 o rabidi] ora uidi G. celebrare se] celebrase G.; Reitzenstein hic legit Deo gratias Cypriani celebrare interdicunt natalem: ingeniose quidem, ego uero haud ita ab exemplari licet corrupto discedere ausus sim. 229 odibiles] Rom. 1, 30. 235 adiuuantibus] d s. l. suppl. 29 sed et in scripturis ostendit] cf. supra Tract. XXVI, l. 74 sqq. 33 assit G. 248 posui te] Ezech. 3, 17; 33, 7. 251 occidere] Matth. 10, 28. morte 255 daeos 262 uiuituri] habes exempla supra Tract. I, l. 261; Tract. XII, l. 74. 75. 80. 81. 83. 270 inprouitatibus. 274 sq. bonis] nobis G. 276 necessabit 278 optestor 283. 285 aput 286 Thabita 287 appetrum 290 reddidit luci] cf. Act. 9, 36—41. 293 nos] secundo ex abundanti, nec tamen desunt exempla, uerbi gr. in Benedicti Reg. Monach.

# DE MARTHA ET MARIA SIGNIFICANTIBUS DUAS VITAS

Sanctum euangelium cum legeretur, audiuimus a femina religiosa susceptum esse dominum hospitio, eaque Martha uocabatur. Et cum esset ipsa occupata in cura ministrandi, soror eius Maria sedebat ad pedes domini, et audiebat uerbum eius. Laborabat illa, uacabat ista; illa erogabat, haec implebatur. Verumtamen Martha, multum laborans in illa occupatione et negotio ministrandi, interpellauit dominum, et de sorore sua conquesta est, quod eam laborantem non adiuuaret. Dominus autem pro Maria respondit Marthae; et ipse eius factus est aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus. M a r t h a, inquit, circa multa es occupata, quando unum est necessarium. | Maria meliorem par- 142v
tem elegit, quae non auferetur ab ea. Audiuimus et interpellationem iudicis, et sententiam; quae sententia interpellanti respondit, susceptam defendit. Erat enim Maria intenta dulcedini uerbi domini. Intenta erat Martha, quomodo pasceret dominum; intenta Maria, quomodo pasceretur a domino. A Martha conuiuium domino parabatur, in cuius conuiuio Maria iam iocundabatur. Cum ergo Maria suauiter audiret uerbum dulcissimum, et corde intentissimo pasceretur, interpellato domino a sorore sua, quomodo putamus eam timuisse, ne diceret ei dominus, Surge, adiuua sororem tuam? Mira enim suauitate tenebatur, quae profecto maior est mentis quam uentris. Excusata est, sedit securior. Quomodo autem excusata? Attendamus, inspiciamus, perscrutemur quod possumus: pascamur et nos.

Domini a Martha de Maria interpellati responsio.

2. Quid enim? putamus reprehensum esse ministerium Marthae, quam cura hospitalitatis occupauerat, quae ipsum dominum hospitio receperat? Quomodo recte reprehendebatur, quae tanto hospite laetabatur? Hoc si uerum est, dimittant homines quod ministrant egentibus; eligant sibi partem meliorem, quae non auferetur ab eis. Vacent uerbo, inhient doctrinae dulcedinis, occupentur circa scientiam salu-

Marthae ministerium non reprehensum.

tarem; nihil eis curae sit, quis peregrinus in uico sit, quis egeat pane, quis indumento, quis uisitandus, quis redimendus, quis sepeliendus: uacent opera misericordiae, uni instetur scientiae. Si melior pars est, quare non omnes ar<r>ipimus, quando ipsum dominum in hac causa patronum habemus? Non enim timemus in hac re ne offendamus eius iustitiam, cum patronam teneamus eius sententiam.

3. Et tamen ita non est: sed sicut dixit dominus, ita est. Quomodo intellegis, non est: est autem, quomodo intellegere debeas. Ecce aduerte. Circa multa es occupata, quando unum est necessarium. Maria meliorem partem elegit: non tu malam, sed ista meliorem. Unde meliorem? Quia tu circa multa, illa circa unum. Praeponitur unum multis: non enim a multis unum, sed multa ab uno. Multa sunt, quae facta sunt; unus, qui fecit. Caelum, terra, mare, et omnia quae in ipsis sunt, quam multa sunt! quis ista numeret? quis horum multitudinem cogitet? Quis haec fecit? fol. 143 Et fecit deus omnia, et ecce bona || ualde. Bona ualde quae fecit: quanto melior ille qui fecit? Attendamus igitur occupationes nostras circa multa. Ministerium necessarium est corpora refecturis. Quare hoc? Quia esuritur, quia sititur. Misericordia miseriae necessaria est. Frangis panem esurienti, quia inuenisti esurientem. Tolle famem, si potes: cui frangis panem? Tolle peregrinationem: cui exhibes hospitalitatem? Tolle nuditatem: cui praeparas uestem? Non sit aegritudo: quem uisitas? Non sit captiuitas: quem redimis? Non sit rixa: quem concordas? Non sit mors: quem sepelis? In illo saeculo futuro non erunt ista mala: ergo nec ista ministeria. Bene ergo Martha circa corporalem domini — quid dicam nescio, necessitatem, an uoluntatem, an necessitatis uoluntatem? ministrabat carni mortali. Sed quis erat in carne mortali? In principio erat Verbum, et Verbum erat apud deum, et deus erat Verbum. Ecce quod Maria audiebat. Verbum caro factum est, et habitauit in nobis. Ecce Martha cui ministrabat. Ergo Maria meliorem partem elegit, et non auferetur

Pars eius non mala, sed Mariae melior.

ab ea; hoc enim elegit, quod semper manebit: ideo non auferetur ab ea. Circa unum se uoluit occupari: iam tenebat, Mihi autem adhaerere deo bonum est. Sedebat ad pedes capitis nostri: quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis; denatat de tumoribus collis. Non ergo dominus opus reprehendit, sed munus distinxit. Circa multa es, inquit, occupata: porro unum est necessarium. Iam hoc sibi Maria elegit: transit labor multitudinis, et remanet caritas unitatis. Ergo quod elegit, non auferetur ab ea; a te autem, quod elegisti — utique hoc sequitur, hoc subintellegitur — a te, quod elegisti, aufer<e>tur. Sed bono tuo aufer<e>tur, ut quod melius est detur. Auferetur enim a te labor, ut requies detur. Tu nauigas, illa iam in portu est.

4. Videtis ergo, carissimi, et quantum arbitror iam intellegitis, in his duabus mulieribus, quae ambae fuerant domino gratae, ambae amabiles, ambae discipulae; uidetis ergo, et magnum aliquid intellegitis, quicumque intellegitis, quod audire et scire debetis, etiam qui non intellegitis: in his | duabus mulieribus duas uitas esse figuratas, praesentem 143v
et futuram, laboriosam et quietam, aerumnosam et beatam, temporalem et aeternam. Duae sunt uitae, quas descripsi breuiter ut potui: iam de illis uos copiosius cogitate. Quid habeat haec uita — non dico malam, non iniquam, non nefariam, non luxuriosam, non impiam; sed laboriosam, aerumnis plenam, timoribus castigatam, temtationibus sollicita<m>: hanc ipsam innocentem uitam dico, qualem decebat habere Martham — hanc ergo, quantum potestis, inspicite, et de hac, ut dixi, copiosius quam loquimur cogitate. Vita uero iniqua deerat ab illa domo, nec cum Martha erat, nec cum Maria; et si aliquando fuit, domino intrante fugit. Remanserunt ergo in illa domo, quae susceperat dominum, in duabus feminis duae uitae: ambae innocentes, ambae laudabiles: una laboriosa, altera otiosa: nulla facinerosa, nulla desidiosa. Ambae innocentes, ambae, inquam, laudabiles: sed una laboriosa, ut dixi, altera otiosa: nulla facinerosa,

Duae uitae in eis figuratae.

quam cauere debet laboriosa: nulla desidiosa, quam cauere debet otiosa. Erant ergo in illa domo istae duae uitae, et ipse fons uitae. In Martha erat imago praesentium, in Maria futurorum. Quod agebat Martha, ibi sumus; quod agebat Maria, hoc speramus: hoc agamus bene, ut illud habeamus plene. Nam quid inde habemus, in quantum habemus, quamdiu hic sumus? Quantum est, est quod inde habemus? Quid est, quod inde habemus? Nam et modo inde aliquid agitur. Remoti a negotiis, sepositis familiaribus curis, conuenistis, statis, auditis: in quantum hoc agitis, Mariae similes estis. Et facilius uos quod agit Maria, quam ego quod Christus. Si quid tamen dico Christi, ideo uos pascit, quia Christi est, quia panis communis, unde et ego uiuo, si uiuo. Nunc autem uiuimus, si uos statis in domino: non in nobis, sed in domino; quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat deus.

5. Quantum tamen est, quod de illa uita audiendo et intellegendo sumitis et capitis, cuius uitae imaginem Maria gerebat, quantum est hoc? Transeat nox ista saeculi. Mane astabo tibi, et contemplabor. Auditui meo dabis gau- fol. 144 dium et laetitiam, et exultabunt ossa humi‖liata. Humiliata ossa, tamquam haerentis membra. Hoc agebat Maria: humiliabatur, et implebatur. Sedebat: quid est ergo quod dixi, Mane astabo et contemplabor? Quomodo astanti similis sedet, si mane significat futurum saeculum? Praesentis saeculi nocte transacta, Astabo, inquit, et uidebo, astabo et contemplabor. Non dixit, sedebo. Quomodo huius tantae rei imaginem Maria seden<s> gerit, si, astabo et contemplabor? Ne uos ista conturbent, carnalis inopia est: non potest utrumque exigi de corpore, ut simul uno tempore et stet et sedeat. Si enim sedet, non stat; si stat, non sedet: simul utrumque non potest corpus. Sed si probauero quia potest animus, numquid erit unde dubitemus? Quia si modo aliquid tale potest, multo facilius tunc poterit homo, omni difficultate finita. Ecce unde capiatis exemplum. Ipse

Animo et sedere et stare possumus.

ait Paulus: Nunc uiuimus, si uos statis in domino. Tantus apostolus, immo per apostolum Christus, stare nos iussit. Quomodo item ipse apostolus, immo ipse per apostolum Christus, dicit nobis, Verumtamen in quod peruenimus, in eo ambulemus? Hic stare, hic ambulare: parum est ambulare, Sic currite, ut conprehendatis. Attendite itaque, carissimi, et intellegite: et ambulare nos iubet, et stare nos iubet; non ut, quando stamus, ambulare desinamus, aut, quando ambulamus, stare cessemus; sed simul utrumque, et stemus, et curramus. Quid est, et stemus, et curramus? Et permaneamus, et proficiamus. Vias tuas, domine, notas fac mihi. Utique per uias domini notas factas quid iubemur, nisi ambulare? Deduc me, domine, in uia tua: quid optamus, nisi ambulare? Et rursus quasi figi uno loco: Ne des ad mouendum pedes meos. Et gratulans alio agensque gratias: Et non dedit in motum pedes meos. Si ei diceretur: Quomodo uias domini optasti notas fieri tibi, quomodo te ab illo in uia eius deduci uoluisti, et optas non moueri pedes tuos, gratiasque agis non datos in motu<m> pedes tuos? quomodo ambulasti, qui pedes non mouisti? responderet tibi: Et ambulaui, quia feci; et steti, quia non recessi. Nolite ergo mirari, fratres: ecce, quod non potest corpus, potest animus. Secundum corpus, quando ambulas, non stas: quando stas, non ambulas; secundum animum, secundum fidem, secundum mentis in | tentionem, 144v et sta et ambula, et permane et profice, quia nunc uiuimus, si uos statis in domino, et Sic currite, ut conprehendatis. Sic ergo, carissimi, et sedebitis, et stabitis. Sedebimus, quia humiliter creatorem conspiciemus; stabimus, quia in aeternum manebimus.

6. Nam plus addo: et discubituri sumus, quod utique nec sedere nec stare est. Discumbemus. Non auderem dicere, nisi promitteret dominus: Faciet eos discumbere. Promittens magnum praemium seruis suis: Faciet eos discumbere, inquit, et transiens ministrabit eos. Haec nobis uita promittitur, quia faciet nos discumbere dominus,

et transiens ministrabit nobis. Hoc etiam dictum est, cum esset illius centurionis fides mirata atque laudata: Amen dico uobis, quia multi ab oriente et occidente uenient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum. Magna promissio, felix redditio. Agamus ut mereamur, adiuuemur ut ualeamus illo peruenire, ubi nobis discumbentibus dominus ministrabit. Quid enim erit discumbere, nisi requiescere? et quid erit ministrare, nisi pascere? Quis ille cibus est? quis ille potus est? Nimirum ipsa ueritas. Ille cibus reficit, nec deficit: pascit, et pascendo integros facit; nec consumitur in eum quem pascit, sed manens integer integrat. Non credis quoniam sic potest pascere deus, cum modo ab isto lumine sic pascatur oculus tuus? Oculus tuus pascitur luce. Multi uideant, tanta est illa: pauci uideant, tanta est illa; et illi reficiuntur oculi, et ipsa non deficit. Sumit inde, nec minuit; carpit, nec praecidit. Haec lux potest oculo: et deus non potest homini commutato? Potest, plane potest: quare nondum capitis? Quia circa multa occupati estis: negotium Marthae uos occupauit, immo omnes nos. Quis enim ab hoc ministerio subueniendi uacat? quis ab hac cura respirat? Innocenter hoc agamus, caritate agamus: ueniet etiam illud, ut discumbamus, et transit, et ministrabit nobis. Non enim tunc nobis ministraret, nisi hinc ad patrem transiret; hic enim erat, quando promittebat. Et fol. 145 ne tale aliquid no<bi>s || exhibiturum arbitraremur, qualem formam serui contemplabamur, Transiens, inquit, ministrabit eis. Et euangelista de hoc transitu: Cum autem uenisset hora, ut Iesus transiret de hoc mundo ad patrem. Tanto tempore, ait, uobiscum sum, et non cognouisti me? Si sciret quid audiret, responderet: Non cognoui, quia nondum transisti. Unde et Mariae dicitur post resurrectionem: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem.

Quomodo transiens Dominus ministrabit nobis.

7. Ergo, carissimi, obsecro uos, hortor uos, moneo, praecipio, rogo, illam uitam simul desideremus, ad eam simul ueniendo curramus, ut in ea perseuerando sistamus. Venit

hora, et sine fine erit illa hora, quando dominus faciat nos discumbere, et ministret nobis. Quid, nisi se? Quid quaeritis quid manducetis? Ipsum dominum habetis. Quid enim erit unde pascamur, quid, nisi In principio erat Verbum, et Verbum erat apud deum, et deus erat Verbum? Quid erit discumbere, nisi requiescere? quid erit pasci, nisi illius contemplatione ineffabiliter delectari? Delectatio in dextera tua. Unam petii a domino, hanc requiram: non multa, circa quae sum occupatus: sed unam peti<i> a domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini per omnes dies uitae meae, ut contempler delectationem domini. Non est ista beatitudo laborantium. Vacate et uidete: quid? Quoniam ego sum dominus. Magna uisio, felix contemplatio. Quid est autem aliud, Discumbite et manducate, nisi Vacate et uidete? Non ergo carnaliter sapiamus, nec uenerales, ut ita dicam, epulas cogitemus. Transibunt ista: toleranda sunt, non amanda. Si uis in eis implere officium Marthae, adsit modestia, adsit misericordia: modestia in temperando, misericordia in erogando. Transit labor, et ueniet requies; sed ad requiem non nisi per laborem. Transit nauis, et uenit in patriam; sed ad patriam non nisi per nauem. Nauigamus enim, si attendamus fluctus tempestatesque huius saeculi. Nec dubito quod ideo non mergimur, quia crucis ligno portamur.

Ad requiem non nisi per laborem.

1 Vide Praefat. ad n. LXXVI. MARTA hoc loco G. 8 implebat G. laborans multum μ (= August. Serm. 104 ed. Maurin.) 11 aiuuaret G. 12 abuocatus 15 ab ea] Luc. 10, 41. 42. audiuimus enim et interpellationem interpellantis et sententiam iudicis μ. 16 interpellati G. 24 surge] add. et μ. 26 sq. escusata G. 28 ut pascamur μ. 31 recerat G. 32 qui tato 33 dimittant omnes ministrant* gentibus e. s. patem m G. 39 quare non omnes aripimus G; cur non omnes hoc faciunt μ. 45 debeas] G; debes μ. 47 mala G. ista] G; illa μ. Sed unde μ. 50 unus est μ. qui fecit caelum et terram G. 51 ipsis] G; eis μ. enumeret μ fort. melius. 53 ualde] Gen. 1, 31; locus in μ corruptus: Quis haec fecit? Deus omnia. Ecce bona ualde 55 necessarium est ministerium μ.

57 miseriae] G optime; miseris $\mu$. 58 si potes] G; om. $\mu$. 66 an necessitatis uoluntatem?] G; $\mu$ uero totum ita contrahit: quid dicam, necessitatem an uoluntatem? 68 uerbum] Ioh. 1, 1. 70 in nobis] ibid. 14. 71 et non] G; quae non $\mu$. 72 ab ea] Luc. 10, 42. ideo] G; om. $\mu$. 74 est] Ps. 72, 28. 78 inquit] om. $\mu$. 82 utique] ante hoc sub intell. repet. $\mu$. 83 aufertur utrobique G. 94—97 malam . . . sollicitam] G ultimo uerbo excepto sollicita; omnia nominatiuo $\mu$. 97 et aerumnis $\mu$. 101 deerat] G; aberat $\mu$. 105. 107 facinerosa] G; facinorosa $\mu$. 107 ut dixi] om. $\mu$. 115 Quid est q. h. habemus] om. $\mu$. 116 agitur] G; agimus $\mu$. 119 aget G. quod Christus] aptissime G; qui praerogo $\mu$. 120 dico Christi] add. est $\mu$. 121 uiuo, si uiuo] G hic quoque praestantior; uobiscum uiuo $\mu$. 122 si uos] add. fratres $\mu$. in domino] I Thess. 3, 8. non] G; nolo $\mu$. 124 deus] I Cor. 3, 7; hic desinit sermo in $\mu$, reliqua iam ex uno G. 125 Quantum tamen est, quod etc.] his, ut uides, respondetur quaestioni supra positae l. 113—116. 128 contemplabor] Ps. 5, 5. 129 humiliata] Ps. 50, 10. 130 herentis menbra G. 136 sedengerit. 144 in domino] I Thess. 3, 8. 148 ambulemus] Phil. 3, 16. 149 conprehendatis] I Cor. 9, 24. 150 sq. nos iubet, et stare nos iubet; non ut, quando stamus, ambulare] haec in marg. saec. circ. XV. suppleta sunt, atque adeo alterum exemplar integri tractatus emendatori ea adhuc aetate suppetebat. 155 mihi] Ps. 24, 4. 157 tua] Ps. 85, 11. 158 figi] ex fici eadem recenti manu corr. ammouendum G. meos] Ps. 120, 3. 159 alio] subaudi loco. 160 meos] Ps. 65, 9. 163 in motu G. 178 eos] Luc. 12, 37 ubi celeb. cod. Sangerm. (Paris. 11553) pariter accusatiuum habet ‚ministrauit illos‘. 184 caelorum] Matth. 8, 11. 185 aiubemur G, male in marg. corr. adiuuari. 189. 195 defecit G. 195 minuet. 196 homini commutato] multa his similia de luce et oculo ap. Augustinum, uerbi gr. Serm. 28, n. 3; 127, n. 6 etc. 198 occupabit G. 201 transit] pro transiet? 203 appatrem. 204 nobis] scripsi; nos in extrema pagina G. 206 eis] Luc. 12, 37 hic quidem datiuo. 208 patrem] Ioh. 13, 1; eadem fere edisserit iisdem scripturae sacrae locis adductis Aug. Serm. 179, n. 6. 209 cognouisti me] Ioh. 14, 9. 210 trasisti G. 212 patrem] Ioh. 20, 17. 220 aput. uerbum] Ioh. 1, 1. 223 tua] Ps. 15, 10. 224 peti a. 227 domini] Ps. 26, 4. 228 dominus] Ps. 45, 11. 233 assit... assit

# DE NATALE SANCTORUM SCILITANORUM IN BASILICA NOVARUM

Martyrum Christi uirorum et feminarum fortitudo Christus. Si enim uiri soli in passione fortes existerent, sexui fortiori uirtus tribueretur. Ideo fortiter pati et infirmior sexus potuit, quia deus in omnibus potuit. Proinde licet sit uir, licet sit femina, in tribulatione sua debet dicere: Dominus fortitudo mea, et Diligam te, domine, uirtus mea. Ipsa dilectio uirtus est: qui enim nouit amare, pro eo, quod amat, omnia perpeti potest. Et si hoc amor lasciuus persuasit amatoribus, ut pro suis nugis et delictis multa fortiter patiantur, nec periculum ullum ante | 146v oculos ponunt, qui alieno pudori insidiantur; quanto debent esse fortiores in caritate dei, qui illum diligunt, a quo et uiuentes et morientes separari non possunt? Amator quippe inpudicus perdet quod amat, si pro amata fuerit occisus; amator autem dei fortis et iustus non solum, quia moritur, quod amauit non perdet, sed moriendo inuenit quod amauit. Denique amator delicti confiteri timet, amator dei negare timet. Eligamus ergo amorem, fratres, in quo innocenter uiuamus, et securi moriamur: hoc enim amore electo, cum ab eo fuerint possessa nostra praecordia, uiuere nobis Christus erit, et mori lucrum. Moriendo quod odimus euitamus; moriendo ad quod amamus peruenimus. Proinde qui amat hanc uitam, faciat, si post amando diuturnam non potest. Ames, non ames, fugit quod amas: fugit, nec tenes quod amas. Anni accedunt, aetas deficit, quod restat breuiatur: non ergo anni producta uita tua accesserunt, sed, si attendas quot remanent, recesserunt. Nam si accessissent, longiorem uitam tibi fecissent: nunc uero restabant tibi, uerbi gratia, triginta anni; ad hoc uiuis, ut minuantur. Sine causa natali tuo multos annos addidisti, quos pauciores diu uiuendo fecisti. Attende digitos conputantis, non ut qui transierunt tibi renuntientur, sed qui remanserunt; et uides eos ad hoc uenire, ut non sint.

Sexus utriusque fortitudo Christus.

Anni recedunt, non accedunt.

Non enim, si agis horam tertiam, reuocas primam: aut de die hesterno fugitiuo crastinum facis; post paululum et crastinus erit hesternus. Quid prode est ista non contemnere, quae amando non potes detinere? Fugit te dies amatus, accedit deus desideratus. Hoc ama, quo amando peruenias. Fidelis est, stat ad te: ueni ad eum. Et hoc piger eras: uenit ad te, natus est propter te, mortuus est propter te.

Dies, deus.

2. Noli ergo timere amarum poculum mortis: mors enim amara est, sed per hanc amaritudinem ad magnam transitur dulcedinem. Amaritudo ista uiscera animae tuae curat; non si moriaris, sed si pro ueritate moriaris. Amaritudo ista fol. 147 medicinalis est, non letalis: sanat interi || ora tua, bibe securus. Quod non dubitauit bibere medicus, quare dubitat bibere aegrotus? Ille, quod in se amaritudine poculi illius curaret, non habebat; propter te bibit, ne tibi uenenum dari putares. Propter te bibit, ut disceres dicere: Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Confitentes Christum diuersa perpessi sunt: alii gladio percussi, alii ignibus concremati, alii feris obiecti, alii nec sepeliri permissi. Dura omnia, saeua omnia, horrenda omnia: sed in conspectu hominum. Ideo scriptura cum mortes martyrum commendaret, Pretiosa, inquit, in conspectu domini mors sanctorum eius: in conspectu eius, qui nouit iudicare, et nescit errare. Attendentes enim stulti et infideles praesentem felicitatem contemni a sapientibus et fidelibus, miseros putauerunt, qui pro Christi nomine moriebantur; oculos enim fidei non habebant, ideo ad ea quae promissa erant prospicere non ualebant. Venit promissor et dator: monendo confirmauit, dando spiritum perfecte sanauit. Ait enim: Nolite timere eos qui corpus occidunt, et amplius quod faciant non habent. Vide stultos saeuientes, si hoc audiant, non habent amplius quod faciant. Faciunt enim multa de cadaueribus: laniant, incendunt, spargunt, sepeliri non sinunt; et quasi gloriantes dicunt: Ubi est quod Christus dixit, quia cum occiderit homo hominem, amplius quid faciat non habet? Ecce tanta feci de ca<da>uere mortui.

Mors martyrum dura, sed in conspectu hominum.

Similis est corde ei, qui non sentit in carne. Dure et stolide, quid fecisti? Si sentit, fecisti; si non sentit, inaniter insanisti. Ostendo, inquit, uobis quem timeatis: qui, cum occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Quod non habet homo percussor et interfector, qui usque ad carnem ferit, exeunte spiritu non sequitur, quia nec uidet. Quis est timendus? Vide a quo occidaris, uide quomodo moriaris. Habet te in potestate post mortem, qui habebat ante mortem; nam nec homo in te aliquid faceret, nisi ille permitteret. Miraris quia ille permittit? Audi martyrum principem, qui cum iudica|retur ab homine, deus occultus, homo manifestus, 147v in quo contemnebatur; ille ergo cum iudicaretur ab homine, inflauit se homo. Non mihi, inquit, respondes? Nescis quia potestatem habeo occidendi te et dimittendi te? Et ille mitis, dominus omnium, seruus omnium, seruiens aegrotis non condicione sed dilectione, et ipsum inflatum et tumentem curauit. Christus ab illo quasi iudicabatur, ille a Christo curabatur: tumidus terruit, sed medicus secuit. Ad ubi se inflauit ut uoluit, responsum accepit; non ut diceretur ei, Non habes in me potestatem, sed ego habeo in te potius potestatem. Quod si dominus diceret, uerum diceret, sed nobis exemplum non praeberet. Ille et cum pateretur docuit, quia et cum temtaretur docuit. Quomodo te docuit quid respondeas temtatori, quando temtatus est, sic te docuit quid respondeas persecutori, quando iudicatus est. Vox illa nostra erat, caput pro corpore loquebatur. Quid ergo ait? Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper. Non dixit, Non habes; sed, Non habuisses, nisi accepisses. Docuit martyrem subditum esse debere, non homini, sed deo; docuit martyrem, quando ab homine aliquid patitur, non timere hominem, sed eum qui hominem facere permittit, qui homini dat potestatem. Illo magisterio edocta fortissima femina: ‚Honore<m>, inquit, Caesari tamquam Caesari: timorem autem deo.' Sua suis reddidit, iuste distribuendo; respondit, nec superba, nec infirma. Attendit apostolum dicentem: Omni humanae constitutioni sub-

Donatae martyris nobile responsum.

diti estote propter deum. Honore<m>, inquit, Caesari tamquam Caesari. Seruiat licet, honoretur; reddatur illi ordo humilitatis, et si principatum non habet potestatis. Summam enim potestatem habet, in cuius manu sumus, et nos, et sermones nostri. Ipsum ergo, inquit dominus, timete, qui habet potestatem, qua et cum occiderit, non huc usque potest, non ultra nihil potest, sed et cum occiderit, habet in potestate mittere in gehennam ignis.

3. O infidelis, praesentia respicis, praesentibus terreris: aliquando cogita in futurum. Crastinus et crastinus, aliquando nouissimus erit crastinus; urguet dies diem, nec rapit fol. 148 eum qui fecit diem. Est enim apud illum dies sine hes || terno et crastino: est enim apud illum dies sine ortu et occasu: est apud eum lux sempiterna, ubi est fons uitae, et in cuius lumine uidebimus lumen. Ibi sit uel cor, quamdiu necesse est ut hic sit caro, ibi sit cor: totum ibi erit, si cor ibi est. Diues in purpura et bysso finiuit delicias; pauper ulceribus plenus finiuit miserias. Nouissimum diem ille metuebat, ille cupiebat. Ambobus uenit, sed non ambos pares inuenit; et quia non ambos pares inuenit, non ambobus aequaliter uenit. Mori et mori simile fuit: finire hanc uitam et finire hanc uitam communis condicio est. Audisti communionem: attende separationem. Contigit enim mori inopem illum, et auferri ab angelis in sinu<m> Abrahae; mortuus est autem et diues, et sepultus est. Ille enim forte nec sepultus est. Iam nostis cetera: ille apud inferos torquebatur, ille in sinu Abrahae refici<e>batur. Transierunt illae deliciae et illae miseriae; utrumque finitum est et mutatum: ille a deliciis ad poenas, ille a miseriis ad delicias. Equidem illae deliciae et illae miseriae breues fuerunt; illae autem poenae et illae deliciae sine fine successerunt. Non utique in diuite diuitiae sunt accusatae, nec in paupere laudata paupertas; sed in illo damnata impietas, pietas autem in isto laudata Aliquando enim audiunt haec homines in euangelio: et gaudent qui nihil habent, ad haec uerba mendicus exultat. Ego ero, inquit, in sinu Abrahae, non ille diues. Respondea-

Nec in diuite diuitiae accusantur, nec in paupere paupertas laudatur.

mus pauperi: Minus habes ulcera: adice tibi ad merita, opta et canum linguas. Tu iactas quod pauper es, ego quaero si fidelis es: nam paupertas infidelis et hic est cruciatio, et ibi damnatio. Alloquamur et diuitem: Quando euangelium audisti de illo qui induebatur purpura et bysso et epulabatur cottidie splendide, timuisti; non inprobo quod timuisti, sed quod ibi inprobatum est plus time. Iacentem pauperem ante ianuam suam contemnebat, micas ille de mensa eius cadentes concupiscebat: nullum illi tegmen, nullum tectum, nulla humanitas praebebatur. Hoc punitum est in diuite, crudelitas, impietas, elatio, superbia, infidelitas: haec punita sunt in diuite. Unde hoc probas? ait aliquis, prorsus diuitiae puni- | 148v
tae sunt. Ego si non ex ipso euangelii capitulo probo, nemo me audiat. Cum apud inferos in tormentis esset ille diues, desiderauit aquae stillam in linguam suam de pauperis digito illius, qui micas mensae ipsius desiderabat; et facilius fortassis ille ad micas, quam ille peruenit ad stillam: negata est enim ei stilla. Respondit ei Abraham, in cuius sinu erat pauper: M e m e n t o, f i l i, p e r c e p i s t i b o n a t u a i n u i t a t u a. Hoc enim proposui ostendere, quia impietas et infidelitas in illo damnata est, non diuitiae et copia rerum praesentium. P e r c e p i s t i, inquit, b o n a t u a i n u i t a t u a. Quid est, bona tua? Alia non putasti bona. Quid est, in uita tua? Aliam uitam non credidisti. Bona ergo tua, non dei: in uita tua, non Christi. Bona tua in uita tua percepisti: finitum est quod credidisti, ideo bona quae meliora sunt non accepisti; quia cum esses <in> inferioribus, ea credere noluisti.

4. Forte accusamus istum diuitem, et sensum patris Abrahae pro nostro captu interpretamur. Ut aliquid planius dicatur, quod inuolutum est euoluatur, quod clausum est uideatur, pulsantibus aperiatur. Cum ei negatum esset subsidium uel exigua misericordia, ut impleretur quod scriptum est, I u d i c i u m s i n e m i s e r i c o r d i a i l l i, q u i n o n f e c i t m i s e r i c o r d i a m, rogauit ut mitteretur Lazarus ad fratres ipsius, et diceret eis quid ageretur post hanc uitam. Dictum est fieri non posse, sed si uellent illi non uenire ad loca eadem

tormentorum, audirent Moysen et prophetas. Habent illi, inquit, Moysen et prophetas: illos audiant. Et ille qui nouerat se et fratres suos — solebant enim inter se talia mussitare fratres infideles, eloquia diuina irridentes, cum audissent aliquid dictum in lege uel prophetis, quod pertineret ad aeterna supplicia deuitanda et ad aeterna praemia concupiscenda, dicere inter se mussitando: Quis inde surrexit? quis inde uenit? quis nobis quid ibi agatur narrare potuit? Ex quo patrem meum sepeliui, uocem ipsius non audiui. Hoc ille sciens, talia se solere sermocinari infideli corde et ore cum fratribus suis, hoc petebat, ut fieret quod illi non factum dicebant, et ideo diuina eloquia contemne-
fol. 149 bant. Et ille: Eat, inquit, || hinc aliquis, et dicat illis. Et pater Abraham: Habent ibi Moysen et prophetas: ipsos audiant. Et ille memor colloquiorum suorum: Non, pater Abraham. Tamquam diceret: Ego scio quid solebamus loqui. Non, pater Abraham: noui quid dicam, noui quid petam. Contemtor pauperis, sero misericors, misericordiam in fratres suos fieri uoluit, quam sibi ipse non fecit. Non, inquit, non, pater Abraham: non credunt Moysi et prophetis. Ego scio, talis fui: sed si quis ad illos ex mortuis ierit, ipsi credunt. Et pater Abraham: Si Moysi et pro-
Fratres impii diuitis, Iudaei. phetis non credunt — Iudaei enim erant, nec diceret pater Abraham, nisi Iudaeus. Respondit ergo pater Abraham: Si Moysen et prophetas non audiunt, nec si quis a mortuis resurrexerit, persuadebuntur. Factum est, impletum est: Moysen et prophetas non audierunt, resurgentem dominum contemserunt. Quomodo enim contemtores Moysi et prophetarum extiterunt, sic resurgentem a mortuis dominum audire noluerunt, contra quem falsos testes emerunt. Damus uobis, inquiunt, pecuniam — illis custodibus sepulcri — et dicite, quia nobis dormientibus uenerunt discipuli eius et furati sunt eum. Testes dormientes, emti, corrupti, suam uitam negantes, aliena furta somniantes! Si uigilabatis, quare fures non tenuistis? Si dormiebatis, quod factum est unde uidistis?

5. Probauimus, quantum arbitror, non in diuite illo diuitias accusatas, sed impietatem, infidelitatem, superbiam, crudelitatem. Audi maius documentum, non esse diuitias accusatas. Quo demersus est diues? In inferno tormentorum. Quo leuatus est pauper? In sinu Abrahae. Vide pauperem in sinu Abrahae: Abraham suscepit, ille susceptus est. Ipse Abraham, qui fuit patriarcha fidelis. Adde et, quod dicere<m>, lege in libro Geneseos diuitias Abrahae, aurum, argentum, pecora, familia<m>: abundabat Abraham. Quid accusas diuitem? Diues suscepit pauperem. Nos ergo absit ut diuitias accusemus, nec tamen ideo auaritiam aedificamus. Non dicat diues, quia pro illo locutus sum; non dicat diues, quia eius consolator esse uolui. Timuit enim in commemoratione euangelii: cum audisset diuitem praecipitatum in poenas | infernas, timuit. Securitatem dedi. Non timeat diuitias, 149v sed uitia: non timeat copiam, sed auaritiam: non timeat facultates, sed cupiditates. Habeat sicut Abraham, et habeat cum fide: habeat, possideat, non possideatur. Dicet mihi aliquis: Et quomodo habuit Abraham? Vis nosse quomodo habuerit Abraham? Quid apud illum erat? pietas: quid? fides: quid? oboedientia: quid? interiores diuitiae. Vis nosse? uis commemorata lectione cognoscere? Omnis homo quicquid excusabiliter se congregare arbitratur, filiis suis seruat. Cum ergo omnes homines diuitias suas filiis suis seruent, et qui filios non habent, uim patiantur, quia non habent quibus relinquant quod congregauerunt; cum ergo manifestum sit, omnes homines plus amare filios suos quam diuitias suas, plus amare quibus seruant quam quod seruant, uis nosse quomodo Abraham habebat illam hereditatem? Lege quomodo iussu dei contemsit heredem. Pone ante oculos diuitem patrem: ibi qui seruat, ibi quod seruat, ibi cui seruat. Appende utrumque, distribue merita, ordina amorem. Utique pluris habebat eum cui seruabat, quam illa qua<e> seruabat. Si huic diceret dominus Iesus Christus, Si uis perfectus esse, uade, uende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et ueni, sequere <me>, credo, sicut

Sinus diuitis Abrahae pauperem Lazarum suscepit.

Abraham uere diues, quia intus diues.

ille diues in euangelio, etiam Abraham tristis abscederet. ‚Dimitte diuitias' tristis audiret, qui ‚Immola mihi heredem' laetus audiuit? Immola mihi unicum tuum, dilectum filium tuum: quem dedi, da mihi. Non dubitauit, non haesitauit, non deuotionem tristitia nubilauit, nec immolaturus, nec immolandus: nam nec ipse puer sub patris gladio trepidauit. Ductus est gaudens a gaudente, ligatus est, arae inpositus est, nec cunctatio fuit: leuata est patris armata dextera, nusquam trepida, nusquam infirma, nec ante deposita nisi illo iubente quo iubente fuerat erecta. Ecce quomodo habete, et quicquid potueritis habete; non ut cupiditates nutriatis, sed ut pietates perficiatis, et diem nouissimum securi expectetis: uere diuites, intus diuites; foris ut potueritis, intus ut iussi fueritis. Habes? D o m i n u s  d e d i t. Perdidisti? D o m i n u s  a b s t u l i t. Gaude, quoniam, qui abstulit, non se
fol. 150 abstulit. || An tibi non sufficit, qui te facit? S i c u t  d o m i n o  p l a c u i t,  i t a  f a c t u m  e s t. Dic, quid times? Cum tu sis malus, et ille bonus, tibi placet bonum, et illi malum? Non potest fieri. Crede bonum esse, quod placuit bono. S i c u t  d o m i n o  p l a c u i t,  i t a  f a c t u m  e s t:  s i t  n o m e n  d o m i n i  b e n e d i c t u m. S c i m u s  q u i a  d i l i g e n t i b u s  d e u m  o m n i a  c o o p e r a n t u r  i n  b o n u m.

1 Vide Praefat. ad n. LXXVIII. 2 NOBARUM G. 8 fortitudo mea] cf. Ps. 117, 14 et al. 9 uirtus mea] Ps. 17, 2. 11 lasciuus] ex lascibus s. l. corr. 18 amauit] u item ex b corr. perdet] pro perdit? 22 lucrum] Phil. 1, 21. 26 beruiatur G. 27 quot] conieci; quod G. 29 uerbi gr. triginta anni] cf. supra Tract. XII, l. 74. 35 externo G. fugitiuo] ex fugitibo 36 externus prode] e post. exp. 39 sq. dies... deus] cf. supra Tract. XVIII, l. 6 sq. 39 ad te] 1° loco ex atte, ut uidetur, postea uero nescio quae litterulae inscite superscriptae sunt. 46 dubitabit 50 eius] Ps. 115, 15. 56 nouit] u ex b s. l. corr. 62 confirmabit... sanabit G, post. s. l. corr. 62 spiritu 63 corpus] in ras. 64 quod] ita G compendio. non habent] Luc. 12, 4. 66 cada-

beribus corr. 69 quid] plane hoc loco. cabere, s. l. corr. cauere. 70 durae et stolidae 73 gehennam] Luc. 12, 5. 83 te?] Ioh. 19, 10. 86 curabit, s. l. corr. 89 habes] scripsi; haberes G. 97 desuper] Ioh. 19, 11. 102 fortissima femina] i. e. martyr. Donata. honore G. 103 timorem] m s. l. suppl. deo] Passio Scillitan., ed. Robinson, p. 114. sua suis] conieci; suauis G, post. suas uis corr. 106 deum] I Petr. 2, 13. honore G. 109 manu sumus] ex manus sunt emendaui. 110 nostri] Sap. 7, 16. 111 qua] quam G. 116 urguet] ita G. 117 sqq. aput 117 externo. 118 enim] s. l. add. 120 lumen] Ps. 35, 10. 129 in sinu Abrachae. 130 sepultus est] Luc. 16, 22; post. s. l. temere add. in inferno. 131 nec sepultus est] idem suggerit Aug. Serm. 14, 13: ‚Contigit enim mori inopem illum, et auferri ab angelis in sinum Abrahae; mortuus est autem diues, et sepultus est. Nam pauper forte nec sepultus.' 132 refici|batur G. 133 diliciae 134 equidem] pro et quidem? 144 aepulabatur cottidiae 155 audiant. aput. 160 tua] Luc. 16, 25. 161 infidelitas] haud cunctanter emendaui iuxta uersum 152 supra, itemque quod mox legitur l. 215; infelicitas G. 168 in] praepos. om. G ob concursum syllabae seq. 174 misericordiam] Iac. 2, 13. 175 rogabit, post. s. l. corr. 179 audiant] Luc. 16, 29. 180 suos] post haec sententia manet interrupta usque uers. 187. 181. 184 mussitare . . . mussitando] s prior utrobique exp. 183 suplicia 189 dicebant] n s. l. suppl. 199 ipsi credunt], pro credent? Luc. 16, 30. 200 non credunt] iterum uerborum consequentiae sententia altera interponitur. 208 inquiunt] scripsi, inquit G; ubi notandum uerba damus uobis, inquiunt, pecuniam a textu euangelico abesse, apud. August. uero, Enarr. in Ps. 63, n. 15, eadem omnino reperiri. 209 nobis] et recte quidem G. 210 eum] Matth. 28, 13. 217 quod emersus 217 sq. notas interrogandi adposui. 220 quod dicerem] conieci; quod dicere G in quo hoc loco sensus identidem uacillat. 221 Geneseos] 13, 2. aurum] ex auro corr. 222 peccora, familia 238 patiuntur G. 246 quae] scripsi; qua, m in fine del. G. 249 sequere me] om. me G; Matth. 19, 21. 255 suppatris. trepidabit, b in u s. l. mut. 259 iuuente. 261 pietates] conieci; pietatis G, post. corr. pietatem. perfaciatis. 262 uere] ex uiri s. l. corr. 265 facit] pro fecit? 266 factum est] Iob. I, 21. 271 bonum] Rom. 8, 28.

# DE NATALE
# SANCTORUM MARTYRUM

Beatificamus martyres sanctos prae ce<te>ris hominibus, qui aduersus peccatum usque ad sanguinem certauerunt; beatificamus autem, quia pro ueritate mortem subierunt, et moriendo uitam inuenerunt. Non enim morerentur, nisi peccasset homo; nam homo si mandatum seruaret, uiueret. Mortem illi <de>us comminatus est, si peccaret: timore ergo mortis debuit abstinere a delicto; sed magis credidit fallenti serpenti, quam creatori consulenti. Deo non credidit, et inuenit quod non credidit. Natura ergo ui sua incurrit in mortem: et quantum in illa est, obluctatur, ne moriatur; sed moritur nolens, quia peccauit uolens. Neque enim primus homo peccando mortem contemsit, sed, etiam si peccaret, moriturum se esse non credidit. Dictum illi est, Noli tangere: si tetigeris, morte

Non Adam peccando mortem contemsit, sed Deo mortem comminanti non credidit.

morieris. Numquid dixit ille, Tangam, et moriar? Numquid ait apud se, Mortem mihi minatus est deus, ut de arbore illa non gustem: gustabo magis, et quid in eo cibo sit experibor; et si mors fuerit consecuta, quid ad me? Non hoc dixit: quia superbia et curiositate peccare uolebat, sed natura mori nolebat. Denique etiam ipse serpens, immo in serpente diabolus, peccati suasor, fidei euersor, non illi abstulit timorem mortis contemtu mortis. Non enim ait illi in male suadendo: Mori times: et quid est mori? Non est malum mors, sine causa times quod malum non est. Non hoc ei dixit: sciebat enim quantum uoluntas mortis a natura ab<h>orreret. Sed quid ei dixit? Non morte moriemini. Non contemtum mortis persuasit, sed fidem mortis tulit. Fecit ergo quod illi persuasum est, non quia mortem contemsit, sed quia se moriturum esse non credidit. Secuta est mors peccantem: genuit nos, non qualis creatus
fol. 154 erat, sed qualis peccando factus fuerat. Nati sumus, ‖ de transgressore trahentes culpam et poenam. Venit unus contra unum: quia per unum hominem mors, et per unum homi-

nem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes uiuificabuntur. Venit ergo unus contra unum: nec eo modo uenit, quo uenerat cui subuenit; sed uenit ex uirgine, uenit sine libidine, uenit conceptus non cupiditate sed fide. Venit ergo unus contra unum. Ut subueniret homini, aliquid assumsit ex genere; sed non totum assumsit, quod habe<b>at cui succurrit. Venit ergo, et inuenit nos iacentes in culpa et poena: suscepit ille solam poenam, et culpam soluit et poenam.

2. Suscepit ergo dominus Christus, non solum uerbo, sed etiam exemplo suo, martyres exhortandos, ne timerent mortem. Non talis fuit Christi exhortatio, qualis serpentis seduc<t>io. Serpens enim dixit: Si peccaueritis, non morte moriemini. Christus dixit: Si peccaueritis, morte moriemini. Quid est, Si peccaueritis, morte moriemini? Si me negaueritis, immo si me non negaueritis, moriemini. Sed nolite timere eos, qui corpus occidunt. O homo, noli timere modo eos, qui corpus occidunt. Tunc debuisti timere mortem, ne uenires in mortem; tunc mortem si timeres, in mortem non uenires: modo si mortem timueris, a morte liberaberis. Sed dimitte diaboli seductoriam suasionem. Ipse dominus deus noster aliud dixit tunc homini, aliud dicit modo. Tunc illi dixit, Noli peccare, ne moriaris; modo illi dicit, Morere, ne pecces. Tunc illi dixit, Peccando uenis ad mortem; modo illi dicit, Moriendo peruenis ad uitam. Ergo poena peccatoris factum est instrumentum uirtutis: tunc audiendo diabolum illi mortui sunt, modo nos moriendo pro ueritate diabolum superamus. Quid te extollis, captiuator meus? De tuo te uinco. Peccatum suasisti, et mortis fidem abstulisti: dixisti, Non morieris; credidi, et mortuus sum. Suasisti, fefellisti, decepisti, tenuisti, in mortem male suadendo misisti; sed moriendo Christo perdidisti, quos possedisti. Non est unde terreas, quando mors ipsa suscipitur, ne peccetur, quae timeri debuit, ne peccaremus. Contra uenenosos susurros tuos martyr cantat: Psallam deo meo, quamdiu uiuo. Ergo cum mor |tuus fueris, deo non psallis? Immo 154

Peccando uenit homo ad mortem; nunc moriendo peruenit ad uitam.

tunc magis psallis, quam diu uiuis. Modo enim non est diu, quod finem habet. Ego non dicerem diu uixisse nec ipsum Adam, si hodie mortuus esset: quid enim prodessent tempora longa praeterita, cum essent praeterita? Diu uixit, tamen uixit: sed si uiuit dic mihi, et si quod uiuit finem non habebit, et dico quia diu est. Nos Christiani, quibus promittitur uita aeterna, non debemus intellegere quod intellexit nescio quis auctor paganorum, qui dixit: Quid est enim hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? Tolle finem, et agnosco diuturnitatem; si autem apponis finem, conuinco breuitatem. Ergo psallam deo meo, quamdiu uiuo. Sic debemus accipere ipsum diu, ut uere sit diu, Quamdiu uiuo. Ergo semper quia uiuo, refer ad illud: Beati qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te. Hoc praemium sancti martyres amauerunt, et amando uitam mori uoluerunt. Quia ergo patienter mortui sunt, amasse illos putatis mortem. Absit, uitam amauerunt, uitam desiderauerunt: uiuere sine morte uoluerunt, qui mori pro uita elegerunt; contemserunt quod non est diu, ut peruenirent ad diu.

Non est diu, quod finem habet.

Hoc Christiani melius quam Cicero intellegunt.

3. Qualis est autem persecutor, qui uenit, et dicit, Nega Christum, si non uis ut occidam te? Propter uitam negabo uitam? propter breuem uitam negabo aeternam uitam? Quid si tu mihi hodie parcis, et cras me febris occidit? Qui<d> mihi minando mortem uis tollere fidem? Si me occidat febris, fidem non tollit. Vita ista, quam te dicis donare, non est in tua potestate: non ergo propter illam negabo uitam Christum, in potestate habentem et mortem et uitam. Ergo eum negabo, qui quamdiu uult hic uiuo, non quamdiu hic uis tu? Et cum hic desiero uiuere, ad illum uenio, ubi non est nisi uiuere. Ecce, si non negaueris, occido te. Scio quis loquitur, per te modo mihi dicit: Nega, et non moreris. Prope hoc et tunc mihi dixit: Tange, et non moreris. Nolui tunc, modo caueo te. Ergo qualiscumque dulcis est uita ista, et nemo eam uult finire aerumnosam. Si usque adeo dulcis est qualiscumque uita, qualis est illa uita, fratres mei? Atten-

Mors amara martyribus, Petro, ipsi Christo.

dite martyrum gloriam: nisi mors amara esset, martyrum gloria nulla esset. Si nihil est mors, quid magnum martyres contemserunt? Attendite ipsum dominum: Maiore<m> hac caritate<m> nemo habet, quam ut animam suam ponat || pro amicis suis. Et ille qui potestatem habebat po- fol. 155
nendi animam suam, et potestatem habebat iterum sumendi eam, tamen ut in se nos transfiguraret, Tristis est, inquit, anima mea usque ad mortem. Petro etiam beato, Cum senueris, inquit, alter te cinget, et fer<e>t quo tu non uis, etiam cum senueris. Qualis est ergo uita beata, si necesse est ut ametur et misera? Actio uitae huius, quae sic amatur, quae est? Cupere, timere, sperare, falli, laborare, aegrescere: uera tristitia, falsa laetitia: fundere orationes, timere temtationes. Qualis haec uita? quis eius aerumnam quauis eloquentia describere potest? Amatur tamen. Actio autem uitae illius, quae est? Non eo longius, non diu describam: Psallam deo meo, quamdiu uiuo.

4. Amatores uitae fuerunt martyres, ideo fuerunt mortis toleratores. Verumtamen, fratres mei, tam dulcis est uita ista, foeda, aerumnosa, tam dulcis est, ut non eam possent martyres pro ueritate et pro aeterna uita contemnere, nisi illo adiuuante qui iubebat ut contemnerent. Contemnit plerumque mortem etiam cupiditas, sed ubi non est sanitas: uitium uitio premitur, cupiditas enim de isto saeculo est. Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt: si quis dilexerit mundum, non est caritas patris in illo; quia omnia, quae in mundo sunt, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio saeculi. Contemnunt plerumque homines mortem per concupiscentiam carnis; contemnunt mortem per concupiscentiam oculorum, contemnunt mortem per ambitionem saeculi: sed omnia ista de saeculo sunt. Qui contemnit mortem propter caritatem dei, nullo modo id potest implere sine a<d>iutorio dei. Denique et ipse martyr cum diceret, Psallam deo meo, quamdiu uiuo, et aeternam uitam meditaretur, incitatus etiam conuertit se, et ait: Nolite fidere in principes. Ne,

Martyres, uitae amatores.

Mortis contemtus alius ex saeculi cupiditate, alius pro Dei caritate.

quando tibi parcit princeps, fidas in eo: princeps principum deus ipse te a<d>iuuet, ut fidas. Fidus esto de fide: et noli fidere in principes, et in filios hominum, quibus non est salus. Ergo nec in te, quia domini est salus. Nam tu quid sis per te ipsum, et quantum attinet ad te ipsum, uis 155v nosse? Exiet spiritus eius, et reuertetur | in terram suam: in illa die perient omnes cogitationes eorum. Ecce quod es tu, si in te non sis nisi tu. Quia ergo non debes fidere in filios hominum, quibus non est salus — salus enim eorum non est in eis ab eis; unde dictum est, Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua — si non fidis in hominibus, quibus non est salus, nec in te fidere debes, quia homo es, cui non est salus.

Hominis merito Dei adiutorium non praeiudicat.

5. Responde nunc, et dic mihi: Si non fido in me, non ergo ego contemno mortem; non ego impleo praeceptum, ne Christum negem. Beatus, cuius deus Iacob a<d>iutor est. Tu quidem mortem contemnis: tu credis, et praeceptum imples: tu minas persecutorum calcas: tu uitam aeternam ardentissime diligis et desideras. Verum est quia tu: sed beatus, cuius deus Iacob adiutor est. Tolle adiutorem, non inuenio nisi desertorem. Desertor Adam, a<d>iutor Christus. Quid ille desertor, nisi quod ei dictum est, Terra es, et in terram ibis? Exiet spiritus eius, et reuertetur in terram suam. Adiutor autem subiit mortem, et docuit contemnere quod suscepit. Et ait mihi adiutor: Peccatum times, sed ideo uis peccare, ne moriaris. Ecce patior quod times. Quod times patior; illud time, quod non facio. Quid times? Mortem. Ecce patior. Illud time, quod non facio, peccatum. Qui peccatum non fecit, nec inuentus dolus in ore eius. Noli ergo facere quod non fecit, et noli timere quod passus est. Mortem enim non facturus es, sed passurus: factum tuum time, non passionem tuam. Time quod facis uolens, non quod pateris nolens: non te occidit mors, si non sis tibi mors. Verumtamen nec ipsa esset, si peccatum non fuisset. Contemnenda est, uerum est, calcanda est, transitoria est: quare uel ipsa? Utinam sola ipsa! Quid est, Utinam sola ipsa?

Utinam sola prima mors soluens spiritum a carne. Timete secundam mortem, ubi non dirimitur anima a carne, sed torquetur anima cum carne. Nolite timere mortem transeuntem, timete permanentem: nulla est peior, quam ubi non moritur mors. Timendo mortem uolebas peccare: peccatum tibi interiorem hominem occidit; ipsa<m> uita<m> carnis tuae occidit peccatum. Denique mors illa corporis non seque<re>tur, nisi mors animae praecessisset. Deseruit anima deum uolens, et deserit carnem nolens. Dominus tamen non carnem deseruit nolens: quando uo || luit mortuus est, quia quando uoluit natus est. Sed ut quid hoc? Ne tu timeres, ecce totum factum est. Et timemus mortem: timemus mortem, quasi euasuri mortem. Time quod potes euitare, id est peccatum. Potes euitare peccatum, mortem non potes; et tamen plus timetur quod euadi non potest, quam quod euitari potest. Agnouimus nos, uidimus nos, inspeximus nos: gemamus in nobis, fundamus orationes, ne intremus in temtationes. Non de nostris uiribus ad ista uincenda praesumamus: Beatus enim, cuius deus Iacob adiutor est, spes eius in domino deo eius; non in se ipso, quia homo est. Sed maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine.

Nulla mors peior, quam ubi non moritur mors.

fol. 156

1 Vide Praefat. ad n. LXXXII. MARTYRUM] num. II. add. G. 2 beatificamus martyres] cf. August. De discipl. christ. c. 12, n. 13: ‚nonne martyres beatificamus?‘ ceteris] ceris 7 illi deus] conieci; illius G. 16 morieris] cf. Gen. 2, 17. 18 cybo 19 experibor] insolens dictio pro experiar, qua tamen usus est August. Quaest. in Heptat. lib. 1, qu. 39: ‚sciam, id est, hoc ipsum experibor.‘ quid ad me] conieci; quidemme G. 23 contemtum 27 aborreret. morte] m in fine del. 28 moriemini] Gen. 3, 4. 31 peccantem] n s. l. suppl. 33. 37. 39 unus contra unum] fort. imitatione Eccli. 33, 16 ‚unum contra unum‘. 36 uiuificabuntur] I Cor. 15, 21. 22. 41 habeat 42 poena] o s. l. suppl. 47 seducio. non morte] m in fine del. 51 occidunt] Luc. 12, 4. 54 liberaueris 56. 57. 59 dicit] dicet trino loco. 67 nec peccetur. 70 uiuo] Ps. 145, 2. 79 extremum?] Cicero, Marcell. 9: ‚Quid enim est omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum?‘ Quae sententia saepissime ap. August. occurrit: cf. indicem Maurinianae editionis ad uocem ‚diu‘. 81 brebitatem 83 illud] il-

lum G. 85 te] Ps. 83, 5. 94 qui mihi 98 potestate] m in fine del. 109 maiore h. caritate. 111 suis] Ioh. 15, 13. 113 eam] Ioh. 10, 18. 114 mortem] Matth. 26, 38. 115 feret] fert G. 128 aiubante 134 saeculi] I Ioh. 2, 15. 16. 139 potest] post G. aiutorio 141 incitatus] conieci, imitatus G; cf. Enarr. Ps. 145, n. 9: ‚Monet enim nos iam impletus tanto spiritu iste, et dicit . . . Nolite confidere in principes.' 142 principes] Ps. 145, 2. 144 aiubet 146 salus] Ps. 145, 3. domini est salus] Ps. 3, 9; cf. Enarr. Ps. 145, n. 9: ‚Ab illo ergo mihi salus, qui est super omnia; quia Domini est salus. Tu inter filios hominum' etc. 147 at te ipsum 149 eorum] Ps. 145, 4. 154 tua] Ps. 3, 9. 158 adiutor est] aiutor G; Ps. 145, 5. 163 aiutor 165 ibis] Gen. 3, 19. 171 eius] I Petr. 2, 22. 184 ipsa uita 185 sequetur 195 temtationes] Matth. 26, 41. 198 eius] Ps. 145, 5. 199 homine] Hier. 17, 5.

# DE ORDINATIONE EPISCOPI

Episcopus seruus debet esse multorum.

Hodie caritati uestrae, ex quo nos deus dignatus est perducere ad uos, tertius redditur sermo: sed praeterito biduo hoc audistis, quod ad uos maxime pertineat: hodie quippe uobis in dono et misericordia dei episcopus ordinatur; hoc itaque debemus loqui, quo et nos ipsos exhortemur, et ipsum informemus, et uos instruamus. Debet enim, qui praeest populo, prius intellegere se seruum esse multorum. Et hoc non dedignetur: non, inquam, dedignetur seruus esse multorum; quia seruire nobis non dedignatus est dominus dominorum. Ex faece quippe carnali subrepserat discipulis domini Iesu Christi apostolis nostris quaedam appetitio sublimitatis, et fumus elationis ire coeperat in oculis eorum. Nam, sicut scriptum in euangelio legimus, nata est inter eos contentio, quisnam eorum esset maior. Dominus autem medicus praesens repressit eorum tumorem. Ad ubi uidit quo uitio uenisset illa contentio, ait illis, et constituens ante se paruulos pueros: Nisi quis factus fuerit ut puer iste, non intrabit in regnum caelorum. In puero humilitatem commendauit. Neque enim tales suos uoluit habere mentes, quales habent pueri, cum dicit apostolus alio loco: Nolite pueri effici mentibus.

Et addidit: sed malitia infantes estote, ut sensibus perfecti sitis. Magna autem malitia superbia, et prima malitia, initium et origo, causa omnium peccatorum: ipsa deiecit angelum, et diabolum fecit. Superbiae calicem etiam ille deiectus stanti | homini propinauit: erexit in superbiam eum, 157v qui factus ad imaginem dei; iam etiam indignus, quia superbus. Inuidit, et persuasit, ut contemneret legem dei, et sua potestate frueretur. Et quomodo persuasit? Si manducaueritis, inquit, eritis sicut dii. Videte ergo, si non superbia persuasit. Homo factus erat, deus esse uoluit: assumsit quod non erat, perdidit quod erat; non quia perdidit humanam naturam, sed perdidit beatitudinem et praesentem et futuram. Perdidit quo erat leuandus, deceptus ab eo qui fuerat inde deiectus.

2. Ideo apostolus Paulus cum inter cetera uirtutes episco- Lecta erat epist. I ad Tim. c. 3.
pales commemoraret in ea lectione, cum modo legeretur, audiuimus, hoc etiam addidit: Non neofitum, quasi nouum a fide, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Quid est, in iudicium incidat diaboli? Non a diabolo iudicandus, sed cum diabolo damnandus: non enim iudex noster diabolus erit; sed quia ipse per superbiam lapsus est, et propter superbiam impius factus sempiterno igne damnabitur. Obseruet, inquit, cui datur locus excelsus in ecclesia, ne elatus in superbiam incidat in iudicium, in quo<d> incidit diabolus. Alloquens ergo apostolos dominus, et confirmans eos in humilitate sancta, postea quam de puero proposuit exemplum, ait illis: Quicumque uult in uobis maior esse, erit uester seruus. Ecce quia non feci iniuriam fratri meo, futuro episcopo uestro, quia eum esse uolui et ammonui seruum uestrum. Si enim illi feci, mihi prius feci: non enim quicumque de episcopo, sed episcopus loquor; et quod ammoneo, ego ipse timeo, et reuoco in animum, quod ipse sanctus apostolus dixit: Non sic curro, quasi in incertum: non sic pugno, quasi aerem caedens; sed castigo corpus meum, et in seruitutem subicio, ne forte aliis praedicans ipse reprobus inueniar.

3. Ergo, ut breuiter audiatis, serui uestri sumus: serui uestri, sed et conserui uestri: serui uestri sumus, sed omnes unum dominum habemus: serui uestri sumus, sed in Iesu, sicut dicit apostolus: Nos autem seruos uestros per Iesum. Per illum sumus serui, per quem sumus et liberi; ipse quippe ait credentibus in se: Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis. Dubitabo ergo seruus fieri per illum, per quem nisi liber fierem, in perdita seruitute remanerem? Praepositi sumus, et serui sumus: praesumus, sed si prosumus. In quo ergo praepositus episcopus || seruus est, uideamus. In quo et ipse dominus. Nam quando dixit apostolis suis, Quicumque uult in uobis maior esse, erit uester seruus, ne indignaretur seruili nomine humana superbia, continuo consolatus est, et proposito ad exemplum se ipso, ad id quod iusserat adhortatus. Quicumque in uobis uult maior esse, erit uester seruus. Sed uidete quomodo: sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare. Quaeramus quid ministrauit. Si attendamus corporalia ministeria, uidemus ei discipulos ministrare; sed ipsos mittebat, ut escas emerent, ut escas praepararent. Denique scriptum est in euangelio, cum propinquaret dies passionis illius, discipuli eius dixerunt ei: Domine, ubi uis paremus tibi manducare pascha? Et iubet ubi paretur: et pergunt, et praeparant, et ministrant. Quid est ergo, quod ait, Sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare? Audi quod sequitur: Non uenit, inquit, ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. Ecce quomodo dominus ministrauit: ecce quales seruos nos esse praecepit. Dedit animam suam redemtionem pro multis: redemit nos. Quis nostrum idoneus est redemere aliquem? Illius quidem sanguine, illius morte a morte redemti sumus, illius humilitate iacentes erecti sumus; sed et nos debemus conferre portiunculas nostras membris illius, quia membra illius facti sumus: ille caput, nos corpus sumus. Exhortans denique nos apostolus Iohannes in epistula sua in exemplum domini, qui dixerat, Erit uester

Praeest episcopus, sed si prodest.

fol. 158

Christus ministrauit dando animam suam pro nobis.

seruus, quicumque uult in uobis maior esse; sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemtionem pro multis; exhortans ergo nos ad similitudinem, ait: Christus pro nobis animam posuit: sic et nos debemus pro fratribus animas ponere. Ipse etiam dominus loquens post resurrectionem: Petre, amas me? Respondebat ille: Amo. Hoc ille ter dixit, hoc ille ter respondit; et totum ter dominus: Pasce oues meas. Ubi mihi ostendis, quia amas me, nisi pascendo oues meas? Quid mihi praestaturus es amando me, quando omnia expectas a me? Quid ergo facias amando me, habes: pasce oues meas. Hoc semel, et iterum, et tertio. Amas me? Amo. Pasce oues meas. Ter enim negauerat timore: ter confessus est amore. Deinde cum ei dominus oues suas tertio commendasset, respondenti et confitenti amorem, et damnanti et delenti timorem, continuo subiecit: Cum iuuenis esses, cinge | bas te, et ibas quo uolebas; cum autem 158v senior factus fueris, alter cinget te, et fer<e>t quo tu non uis. Hoc autem dixit significans, qua morte glorificaturus erat deum. Crucem suam pronuntiauit illi, passionem suam praedixit illi. Illuc ergo pergens dominus ait: Pasce oues meas, patere pro ouibus meis.

Idem postulatur a Petro.

4. Talis debet esse bonus episcopus; si talis non erit, episcopus non erit. Quid prode est misero, si Felix uocetur? Si mendicum aliquem aerumnosum hominem aspicias, qui uocatur Felix, et ei dicas, Veni huc Felix, uade Felix, surge Felix, sede Felix, et ille inter omnia uocabula semper infelix; huic simile quiddam est, quando episcopus uocatur, et non est. Quid ei confert honor nominis, nisi cumulum criminis? Quis est autem episcopus, qui uocatur, et non est? Qui gaudet honore eo magis quam salute gregis dei, qui in ista celsitudine ministerii sua quaerit, non quae Iesu Christi: uocatur episcopus, sed non est episcopus, nomen inane est ei. Et uides homines nihil loqui aliud. Vidisti episcopum? salutasti episcopum? Unde uenis? ab episcopo. Quo pergis? ad episcopum. Ut ergo sit quod uocatur, audiat, non me,

Sit quod uocatur episcopus.

sed mecum: simul audiamus, simul in una schola condiscipuli ab uno magistro Christo discamus, cuius cathedra ideo est in caelo, quia prius crux fuit in terra. Humilitatis ille uiam docuit: descendens ascensurus, uisitans eos qui in imo iacebant, et eleuans eos qui sibi cohaerere uolebant.

5. Denique auditu euidentissime percipe. Duo discipuli eius fratres, filii Zebedei Iohannes et Iacobus prae ceteris illius sublimitatem concupierunt, et per matrem suam, quia ipsi uerecundabantur, dixerunt ei, ipsam inmittentes, quae diceret illorum desideria: Domine, dixit, fac ut <in> regno tuo unus filius meus sedeat ad dexteram tuam, alter ad sinistram. Et dominus ad illos, non ad illam: Nescitis quid petatis. Et adiecit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Quem calicem, nisi de quo dicit propinquans passioni: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste? Potestis, inquit, bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Et illi continuo, auidi sublimitatis, obliti infirmitatis: Possumus, inquiunt. Et ille: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram uel ad sinistram meam non est meum dare uobis; aliis pa-
fol. 159 ratum est a patre meo. || Quibus paratum est, si discipulis non paratum est? Qui illic sedebunt, si apostoli non sedebunt? Aliis paratum est, non uobis paratum est: aliis, non superbis. Et bene et ipse humilitatem praetendit, cum diceret, Aliis paratum est a patre meo; cum utique ipse praepararet, a patre suo dixit praeparari: ne et hic arrogans esse uideretur, et non aedificaret ad humilitatem, propter quam ista omnia loquebatur. Neque enim parat pater, quod non parat filius, aut parat filius quod non parat pater: cum ipse dicat, Ego et pater unum sumus; ipse etiam dicat, Quaecumque pater facit, haec eadem et filius similiter facit. Doctor humilitatis sermone et opere: sermone enim semper ab initio creaturae numquam tacuit, per angelos, per prophetas, docere hominem humilitatem; docere dignatus est etiam exemplo suo. Venit humilis creator noster, creatus inter nos: qui fecit nos, qui factus est propter nos: deus ante

Christus, humilitatis doctor sermone et exemplo.

tempora, homo in tempore, ut hominem liberaret a tempore. Venit sanare tumorem nostrum magnus medicus. Ab oriente usque in occidentem genus humanum tamquam magnus iacebat aegrotus, et magnum medicum requirebat: misit primo pueros suos medicus iste, et uenit ipse postea, cum a nonnullis desperaretur. Quomodo et medicus quando mittit pueros suos, quasi ad aliquid facile faciendum: cum periculum magnum fuerit, ipse uenit; sic magno periculo laborabat genus humanum, uitiis omnibus inuolutum, maxime a superbiae fonte manante: et ideo uenit curare ipsam superbiam exemplo suo. Erubesce adhuc superbire, homo, propter quem humiliatus est deus. Multum se humiliasset deus, si tantummodo nasceretur propter te: dignatus est etiam mori pro te. Hic ergo erat in cruce in homine, quando agitabant caput ante crucem persecutores Iudaei, et dicebant: Si filius dei est, descendat de cruce, et credimus ei. Ille autem seruabat humilitatem, ideo non descendebat: non perdiderat potentiam, sed demonstrabat patientiam. Nam ipsum effectum uirtutemque eius cogitate, et uidete quam facile potuit de cruce descendere, qui potuit de sepulcro resurgere. Sed tibi humilitas, tibi patientia, si non erat demonstranda, non erat praecipienda: si autem praecipienda erat uerbo, demonstranda et commendanda erat exemplo. Hoc ergo attendamus in domino: humilitatem eius uideamus, calicem | humi- 159v
litatis eius bibamus, ad eum nos artemus, eum meditemur. Facile est cogitare sublimitates, facile est honoribus gaudere, facile est assentatoribus et adulatoribus aures praebere. Ferre conuicium, patienter audire opprobrium, orare pro contumelioso, hic est domini calix, hoc est conuiuium domini. Inuitatus es a maiore? cogita quia talia te oportet praeparare.

6. Apostolus describens episcopum hoc primo posuit: Qui episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit. Quid est hoc? Quasi inflammauit omnes ad desiderandum episcopatum, et meliores erunt ambitores quam uerecundi, et meliores erunt arrogantia quadam sibi etiam indebita

Contra episcopi nomen, non rem, quaerentes.

usurpantes, quam etiam debita timore uitantes? Absit hoc, non est istud: non hoc docuit, ut ambiamus ad episcopatum peruenire. Sed quid dixit, intendite, si potuero explicare quod sentio. Apostoli sensus est lucidus intellegentibus, superbis et ambitoribus caliginosus et obscurus. Hoc ergo apostolus ait: Qui episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit. Non est desiderare <episcopatum>, episcopatum desiderare: bonum opus concupiscere est. Sed episcopus uult esse, qui non facit bonum opus, sed suum opus? Non episcopatum iste desiderat. Hoc est, quod dicebam paulo ante: nomen quaerit, non rem. Episcopus uolo esse: o si essem episcopus! Utinam esses! Nomen quaeris, an rem? Si rem quaeris, bonum opus concupiscis: si nomen quaeris, potes habere et in opere malo, sed peiore supplicio. Quid ergo dicemus? sunt episcopi mali? Absit, non sunt: prorsus audeo dicere, non sunt episcopi mali; quia si mali, non episcopi. Tu iterum ad nomen me reuocas, et dicis: Episcopus est, nam sedet cathedra. Est et faeneus custos in uinea.

Multo melius, si nec unam uxorem, nec filios carnales habeat episcopus.

7. Dixit inter cetera, Unius uxoris uirum: sed quanto melius nullius! Quousque progrediendum sit, dixit, ut non plus ab una; sed multo melius, si nec una. Filios habentem obsequentes: ut, si habet, obsequentes habeat; non ut conetur habere, si non habet. Disciplinam enim commendauit in filios, propter domum regendam: Qui enim domui suae praeesse nescit, quomodo ecclesiae <dei> diligentiam habebit? Ipsius apostoli uerba sunt. Et quomodo erit sine filiis episcopus, si bonus erit episcopus? Denique episcopus uester in nomine Christi, adiutus gratia
fol. 160 Christi, filios carnales || habere noluit, ut spirituales habeat. Ad uos pertinet digne ei obsequi, digne oboedire, digno seruitio seruire; et habebit filios obsequentes, pro paucis tam multos, pro terrenis supernos, pro heredibus coheredes.

8. Diximus de episcopis bonis, et de episcopis malis: diximus quod esse debemus, et quod esse uitemus. Sed quid ad uos, o populus dei? Aliquid et ad uos. Volumus

enim uos in petra aedificari, templum deo surgere, ad capiendum deum idoneos fieri, spem uestram non in incerto fluctuare, sed in solido collocare. Qualescumque nos sumus, uos securi esse debetis. Equidem bonum est nobis, ut boni praepositi episcopi esse debeamus, non tantum uocemur, hoc bonum est nobis: talibus enim magna merces promittitur. Sed si non fuerimus tales, sed mali, quod absit, fuerimus, et honores nostros propter nosmetipsos quaesierimus, praecepta dei neglexerimus, salutem uestram pro nihilo habuerimus, maiora supplicia nos expectant, quam praemia quae promissa sunt. Sed absit a nobis, et orate pro nobis: quanto enim in altiore loco, tanto in maiore periculo sumus. Cogitamus enim quam rationem reddamus de obsequiis hominum, quam de maledictis hominum. Multi nobis obsecuntur, multi nobis detrahunt, nobisque maledicunt. Plus nos faciunt periclitari, qui obsecuntur, quam qui maledicunt: obsequium enim hominum titillat superbiam nostram, maledicta hominum exercent patientiam nostram: alibi timeo lapsum, alibi munior firmatus. Nam Opprobria hominum, ait mihi quidam seruorum dei, nolite metuere. Dicit et dominus Iesus Christus: Beati eritis, cum uobis maledixerint homines, et dixerint omne malum aduersum uos, mentientes, propter me. Nam si qui maledicunt, et uera dicunt, non male dicunt, quia uera dicunt; sed male dicunt, qui falsa dicunt. Nobis autem quid promisit dominus? Gaudete et exultate, quia merces uestra copiosa est in caelis. Auget mercedem meam maledicus meus: minuere uult mercedem meam adulator meus. Sed quid dicam, fratres? Ut augeatur merces nostra, optare debemus, ut maledici sitis? Nolumus malo uestro nostram augeri mercedem. Benedici estote, obsequimini; nos periclitemur, et uos non deminuamini. Quid ergo, si populus incurrat in episcopum malum? Dominus et episcopus episcoporum fecit securum, | ne spes uestra in homine sit. Ecce in nomine do- 160v
mini episcopus uobis loquor: qualis sim ego, nescio: quanto minus uos? Quid enim sim ad horam, possum utcumque sen-

Magis timet Augustinus adulatores, quam maledicos.

Christus episcopus episcoporum.

tire: quid quandoque futurus, unde scio? Quomodo praesumsit Petrus, et demonstratus est sibi Petrus; aeger se nesciebat, sed medicum non latebat. Dixit, praesumsit, ausus est polliceri: Tecum usque ad mortem. Animam meam pro te ponam. Et ille medicus uenam cordis inspiciens: Animam tuam, inquit, pro me ponis? Amen dico tibi, prius quam gallus cantet, ter me negabis.

9. Dominus itaque praestet, a<d>iuuantibus nos orationibus uestris, et hoc nos esse, et hoc usque in finem perseuerare, quod nos uultis esse, omnes qui nobis bene uultis, et quod nos uult esse ille, qui nos uocauit et iussit: adiuuet nos implere quod iussit. Sed qualescumque sumus, spes uestra non sit in nobis. Mihi derogo, ut episcopus hoc loquar: gaudere de uobis uolo, non inflari. Omnino quemcumque inuenero spem ponentem in me, non illi gratulor: emendandus est, non firmandus: mutandus est, non stabiliendus. Si monere non possum, doleo; si autem monere possum, iam non doleo. Sicut modo in nomine Christi loquor populo dei, loquor in ecclesia dei, loquor qualiscumque seruus dei: spes uestra non sit in nobis, spes uestra non sit in hominibus. Boni sumus, ministri sumus; mali sumus, ministri sumus. Sed boni, fideles ministri, uere ministri. Quod ministramus, attendite: si esuritis, et ingrati esse non uultis, de cuius cellario proferatur aduertite. In quali uasculo tibi ponatur, quod tu auidus es comedere, non ad te pertineat. In magna domo patris familias, non tantum uasa aurea et argentea, sed et fictilia sunt. Argenteum uas est, aureum uas est, fictile uas est: tu utrum habeat panem attende, et cuius iste sit panis, quo donante ministretur. Ipsum aduertite, de quo loquor, quo donante ministratur hic panis. Ipse est panis: Ego sum panis uiuus, qui de caelo descendi. Ministramus ergo uobis Christum pro Christo, ipsum sub ipso; ut ipse ad uos perueniat, ipse sit iudex ministerii nostri. Nam si fur est episcopus, numquam tibi dicturus est de exedra ista, Fac furtum; sed non est tibi dicturus nisi, Noli facere furtum. Hoc enim accipit de

Doctrinam episcopi populus, non malos mores attendat.

cellario domini. Si aliquid aliud dicere uoluerit, respuis illum, et dicis: Non est hoc de cellario domini, || tua mihi dicis. fol. 161 Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Dicat ergo tibi secundum deum: Ne furtum facias, ne adulterium, ne homicidium; dicat tibi secundum deum, ut timeas, ut non extollaris, ut a saeculi amore auertaris, ut spem tuam in domino ponas. Haec tibi dicat secundum deum. Ipse si non facit, quid ad te? Dominus deus tuus Christus est, securum te fecit. Scribae, inquit, et pharisaei in imagine praepositorum sederunt cathedram Moysi: quae dicunt, facite: quae autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, et non faciunt. Quid ad hoc dicturus es? unde te in iudicio Christi excusaturus? Dicturus es: Ideo feci male, quia uidi episcopum meum non uiuere bene. Respondetur tibi: Elegisti tibi, cum quo damneris, non cum quo libereris. Ipsum imitatus es male uiuentem: quare ipsum imitatus es potius, et non me audisti per ipsum? Ego enim tibi in euangelio meo non dixeram, ut, quando uides praepositos malos, quae dicunt facias, quae autem faciunt non facias? Me per illos audires, et per ipsos non perires.

10. Si ergo et mali possunt dicere bona, et nunc respondeamus Christo, et dicamus, discendi causa, non contemnendi aut exagitandi: Domine, si mali possunt dicere bona — unde admonuisti, et praecepisti dicens, Quae dicunt, facite, quae autem faciunt, facere nolite — si mali ergo possunt dicere bona, quomodo alio loco dicis: Hypocritae, non potestis bona loqui, cum sitis mali? Attendite rem ligatam, quousque illius adiutorio cernatis solutam. Iterum propono quaestionem. Christus dicit: Quae dicunt, facite: quae autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, et non faciunt. Quid ergo, nisi quia dicunt bona, et faciunt mala? Ideoque quae dicunt, debemus facere; quae faciunt, non debemus facere. Alio loco: Numquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Omnis arbor ex fructu cognoscitur. Quid ergo, quomodo obtemperabimus? quomodo intellegemus? Ecce uepres sunt,

Etiam in malis episcopis cathedra loquitur.

spinae sunt. Facite. Iubes me colligere uuam de spinis: alibi iubes, alibi uetas: quomodo obtemperabo? Audi, intellege. Cum dico, Quae dicunt facite, quae autem faciunt facere nolite, attende prius quid dicam: Cathedram Moysi sederunt, dixi. Quando dicunt bona, non ipsi dicunt, sed cathedra Moysi. Cathedram pro doctrina posuit: non quia cathedra loquitur, sed doctrina Moysi: in memoria eorum est, 161v in operibus non est. Quan|do autem ipsi dicunt, quando ipsi loquuntur, hoc est, quando de suo loquuntur, quid audiunt? Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Nam aliam similitudinem attendite. De spinis nolite uuam carpere: non enim potest aliquando uua nasci de spinis. Sed non attendistis palmitem uitis crescendo ire in sepem, et inuoluere se in spinis, et inter spinas germen promere, botrum summittere? Esuris, et transis, et uides botrum pendentem inter spinas: non facis, non carpis. Esuris, et carpere uis: carpe, manum diligenter et caute extende: spinas caue, fructum carpe.

Est uua colligenda, licet inuoluta spinis.

Sic etiam quando pessimus aut malus homo tibi loquitur doctrinam Christi, audi, excipe, noli contemnere. Si malus homo est, spinae ipsius sunt; si bona dicit, botrus ille est pendens inter spinas, non nascitur de spinis. Ergo, si esuris, carpe, sed obserua spinas. Si enim facta eius coeperis imitari, dum libenter eum audis, incaute extendisti manum: prius in spinas incurristi, quam ad fructum peruenisti: uulneratus exis, laniatus exis: non iam tibi prodest fructus, qui est de uua, sed obsunt spinae, quae sunt de radice propria. Nam, ut non fallaris, attende, unde carp<s>isti fructum: sarmentum ibi est. Dirige oculos in sarmentum, et uide pertinere ad uitem, de uite exire, de uite progredi, sed in spinis incurrere. Numquid ergo uitis contrahere debet palmites? Sic et doctrina Christi crescendo et procedendo inseruit se arboribus bonis, inseruit se in spinis malis: dicitur a bonis, dicitur a malis. Tu uide, unde sit fructus, unde nascatur quod te pascit, et unde nascatur quod te pungit: permixta sunt in publica facie, sed discreta sunt in radice.

Acrior Augustini dolor de discissa ecclesiae unitate.

11. Hoc autem attendite, fratres mei, ut aliquid etiam dicamus de acriore dolore nostro, hoc attendite, fratres nostri quare se separarint a nobis. Dicant nobis, quare? Mali erant episcopi. Cathedras suas sedebant, cathedras Christi sedebant, in unitate Christi erant: ab unitate separari non oportebat. Mali erant ipsi: tu faceres, quod dominus praecepit, *Quae dicunt facite, quae autem faciunt facere nolite*. Quare te a cathedra Christi separasti? Si pestilentiosus ibi sedit, audires per illum, non imitareris illum. Et tamen potes probare, cum dicis, Pestilentiosus ibi sedebat? Sed ego te probo pestilentiosum, qui cathedram Christi dimisisti. Quod tu dicis, occultum est: quod ego dico, probo. Separatio tua te || punit, discissio tua te punit. Simul emti sumus, uno pretio comparati sumus; pretii nostri tabulae recitantur, nostrae emtionis instrumentum sanctum est euangelium. Aperio, lego. Quid aperio? quid lego? Ubi emti sumus, ubi fratres et conserui sumus, ubi in unitate constituti sumus. Quid enim emerit Christus, non tacuit, ne aliquis illi tolleret possessionem suam, et supponeret alienam; prorsus non tacuit quod emit. Aperi tabulas, lege: instrumenta confecta sunt, non emit sine scriptura, praeuidit calumniatores futuros; prorsus fecit, quod obiciatur calumniatoribus. Quod legitur, creditur: legitur autem, uide a quo scriptum, uide quo dicente, quibus excipientibus. Dicebat ille, excipiebant apostoli: conscripta nobis relinquerunt. Legamus ergo instrumentum, fratres: quare litigamus? Quid si tabulae domini nostri, emtoris nostri, tollant a nobis litem? Tu dicis ecclesiam Christi in Afris et in Africa esse: ego dico ecclesiam Christi per omnes gentes diffundi. Ecce ubi quaestio est, ecce unde rixa inter fratres. Litigas tu pro parte: litigas, ut in parte remaneas. Ego tibi contradico, ut totum possideas. Intellege litem concordem, intellege litem caritatis. Non tibi dico, Victus es, recede. Ab initio enim displicuerunt domino nostro Iesu Christo diuisores hereditatis. Nam praedicanti in populis ueritatem ait unus de turba: *Domine, dic fratri meo diuidat mecum hereditatem*. Et dominus,

fol. 162

Quaestio Donatistas inter et Catholicos.

Lectum erat Euang. Ioh. 10, 11 sqq.

qui noluit confirmare diuisionem, qui uenerat facere unitatem — audiuimus enim et modo in euangelio de ipsa unitate, Habeo alias oues, quae non sunt de hoc ouili; oportet me eas adducere, ut sit unus grex, et unus pastor — dominus ergo, qui amabat unitatem, oderat diuisionem, ait illi homini: Dic, homo, quis me constituit diuisorem hereditatis inter uos? Ego dico uobis, Cauete ab omni cupiditate. Noluit esse diuisor hereditatis: unitatem uenerat congregare, unam hereditatem per terras dare. Legantur instrumenta hereditatis ipsius; legantur, ut dicere coeperam. Resurrexit a mortuis, ostendit se discipulis suis, non solum uidendum, sed etiam tangendum et contrectandum. Palpate, inquit, et tangite, et uidete quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me uidetis habere. Putarant enim illum spiritum esse, non corpus; 162v fantasma esse, non ueritatem. Et cum adhuc | prae gaudio mirarentur, ait illis: Non sciebatis quia, cum essem adhuc inter uos, haec dicebam uobis, quia oportebant impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me? Quid est hoc? quid est scriptum de illo in lege et prophetis et psalmis? Audi. Quia oportebat Christum pati. Credo, inquit. Merito, fratres: attendite cetera. Tabulas dominicas lego, instrumentum uel potius testamentum hereditatis nostrae lego; legamus, intellegamus: quare litigamus? Ecce lego, audi cetera. Oportebat Christum pati. Credis mecum? Credo, inquit. Et resurgere a mortuis tertio die. Credis mecum? Credo plane. Crede et cetera, et finita est discordia. Quid est illud in ceteris? Et praedicari in nomine eius paenitentiam et remis<s>ionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem. Ecce quod lego, haec est ecclesia Christi: Per omnes gentes, incipiens ab Ierusalem. Tene illam mecum, et tolles discordiam. Si in illa non eris, in parte eris. Damno tuo uincis, lucro tuo uinceris. Agnosce quia uictus es, et tenebis illam mecum per omnes gentes diffusam, incipiens ab Ierusalem. Tabulae dominicae leguntur, euangelium dominicum loquitur: quid mihi calumniaris, quia ego incendi tabulas istas? Quis debet credi quod incenderit illas: qui illis oboediuit, an qui illas contemnit?

Donatistarum calumnia de incensis codicibus Euangeliorum.

Quicumque incenderit, undecumque prolatae sint, legamus, audiamus, faciamus, concordemus; dimittamus praeterita praeteritis, transeuntia eis qui transierunt relinquamus.

12. Aduocatus ipsorum, defensor ipsorum in mediis gestis collationis nostrae clamauit in angustiis: Nec causa causae, nec persona personae praeiudicat. Peccauit Caecilianus? Immo non peccauit Caecilianus, sed pone peccauerit Caecilianus; audi certe defensorem tuum. ,Nec causa causae, nec personae persona. Non praeiudicaret uni personae una persona: et praeiudicabit finibus terrae? praeiudicabit hereditati Christi eunti per omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem? Peccauit Caecilianus: numquid ideo mentitur Christus? Et tamen non peccauit Caecilianus; sed tu non uis esse bonus Christianus. Quid ad me de homine? Hoc uobis loquebar, ad hoc uos aedificabam. Spes mea non est in Caeciliano, spem meam non posui in homine. Si bonus fuit Caeci‖lianus, congratulabor bono fratri; si malus fuit, ego iudex non sum de occultis fratris. Ergo paululum honorificentia sequestrato Caeciliano et memoria eius, dominum meum interpello, ego interpello Christum contra fratrem meum. Non quomodo ille: non ei dico, Domine, <dic> fratri meo diuidat mecum hereditatem; sed dico, Domine, dic fratri meo teneat mecum hereditatem. Ergo quod interpellaui dominum contra fratrem meum, non est contra fratrem meum, sed pro fratre meo: nolo illum exheredem, nolo solus possidere; scio enim quia quod possideo non fiet angustum, si multi mecum possideant. Quod possideo, caritas uocatur, quae numeroso possessore amplius dilatatur.

Gesta Collationis Carthaginiensis an. 411.

fol. 163

Caritas numeroso possessore amplius dilatatur.

1 Vide Praefat. ad n. LXXXIV. EPISCOPI] num. I. add. G. 7 uos] scripsi; nos G. instruamus] haec Caesarius imitatus est in clausula additicia Serm. August. 340: ,Et ideo hoc debemus loqui, quod et nosmetipsos cohortari, et uos possit instruere.' 16 maior] cf. Luc. 22, 24. 19 caelorum] Mt. 18, 3. 22 dicit] pro dicat? 24 sitis] I Cor. 14, 20. 27 propinabit G. 28 qui factus] supple erat aut aliud quid simile. 31 dii] Gen. 3, 5. 38 cum] quam ante h. uerbum excidisse suspicor. 39 neoffitum 41 diaboli] I Tim. 3, 6. 47 in quo G. 50 seruus] Matth. 20, 26. 56 pugno] ex pugnor corr.; porro eundem locum Augustinus alibi commemorans uerbo pugillor saltem quater usus est. ce-

dens G. 58 inueniar] I Cor. 9, 26. 27. 62 seruos uestros] post. serui uestri perperam corr. Iesum] II Cor. 4, 5. 65 eritis] Ioh. 8, 36. 73 adhortatus] est s. l. absque causa add. 76. 86 ministrabit 81 pascha?] Matth. 26, 17. 86 multis] Matth. 20, 28. 89 redemere] in redimere post mut. 92 capud 98 assimilitudinem 100 ponere] I Ioh. 3, 16. ipse e. dominus loquens] in ablatiuum absol. nequicquam corr. 102 totum] postmodum exp. 103 meas] Ioh. 21, 15. 16. 17. 112 feret] fert G, ut saepe supra. 113 glorificaturus] o in a post. corr. 114 deum] Ioh. 21, 18. 19. pronunciabit 118 prode est] altera e post. exp. 120 huc] ex hoc corr. 125 eo magis] eo, ut uidetur, ex abundanti. 134 descendes 140 in] suppleui. 142 sinistram] cf. Matth. 20, 21. 144 sum?] ibid. 22. 146 iste] Matth. 26, 39. 149 autem] s. l. post. add. 151 meo] Matth. 20, 23 ubi quidem translator *ἄλλοις* pro *ἀλλ' οἷς* legebat, quemadmodum cod. Cantabr. d, Hilarius et alii. 153 aliis, non superbis] cf. Enarr. in Ps. 103, Serm. 3, n. 9: ‚Quid est, Non est meum dare uobis? Non est meum dare superbis'; tum eadem exempla Augustinus, quae in hocce Tractatu, ex s. scriptura commemorat, ‚Quicumque in uobis uult maior esse, erit uester seruus' et ‚Nos autem seruos uestros per Iesum'. 158 quod non parat filius] ita quoque De trinit. lib. 1, c. 12, n. 25—27. 160 sumus] Ioh. 10, 30. 161 facit] Ioh. 5, 19. 169 occidentem] m post. suppl. 172 quando] n. s. l. add. 180 capud 182 ei] ex Matth. 27, 40 et 42 confl., uti saepius supra. 197 praeparare cf. Prou. 23, 1 iuxta LXX. 199 concupiscit] I Tim. 3, 1; iisdem porro uerbis hoc exemplo utitur August. in Epist. 173, 2 circ. an. 412 scripta. 209 episcopatum] semel G. 216 suplicio. 220 cathedra] praepos. in m. post. sine causa praem. faeneus] conieci; ueneus G, sed prima littera loco alterius erasae, f ni fallor, subdita est. 222 uirum] I Tim. 3, 2. 222 obsequentes] ibid. 4. 228 dei] om. G, nimirum ob syllab. di quae sequitur. 229 habebit] I Tim. 3, 5. 238 quid ad uos] 1° loco ad s. l. suppl. 243 debeamus] a emendator suppl. 251 cogitamus] a in e post. m. perperam mut. 257 firmatum G, quemadmodum infra l. 371 ‚non iam tibi prodest fructum, qui est de uua', pro ‚fructus'. 258 metuere] Esai. 51, 7. 261 me] Matth. 5, 11. 263 falsa dicut 265 caelis] Matth. 5, 12. 266 adultor 274 quid enim sim ad horam etc.] cf. Serm. 147, 2: ‚Omnis autem homo qualis sit tunc cum loquitur, forte scit; qualis crastino futurus sit, quis scit?' 275 quandoquae G, post. corr. qandoqui. 278 ad mortem] Luc. 22, 33; cf. supra Tract. XVII, l. 10 itemque Enarr. in Ps. 103, Serm. 3, n. 9: ‚Quomodo Petrus, Tecum usque ad mortem' et alibi passim. 279 ponam] Ioh. 13, 37. 281 negabis] ibid. 38. 282 aiuuantibus 285 adiuuat 291 monere] pro mouere? 299 atte. pertineat] pro pertinet? 301 sunt] II Tim. 2, 20. 306 descendi] Ioh. 6, 51. 309 exedra] post. m. mut. in cathedra.

313 loquitur] Ioh. 8, 44. 320 sederunt cathedram] absque praepositione, uti fere constanter August., ubi hoc exemplo utitur; male feriatus emendator hic et in sqq. add. super ante cathedram. 322 faciunt] Matth. 23, 3. 331 bona] interrogandi notam sine causa add. G. nunc] 1 m. ex non corr. 334 ammonuisti 335 nolite] hic iterum interrog. nota ex abundanti. 336 dicis] ex dicit emendaui: Christum enim alloqui pergit orator. 337 ypocritae. mali] Matth. 12, 34. 344 ficus] Matth. 7, 16. 345 cognoscitur] Luc. 6, 44. 346 obtemperauimus. uaepres. 355 ipsi loquuntur] loquntur G, ex loquitur corr. 355 de suo locuntur 363 carpere] ex carpire corr. carpe manu. diligenter 364 quado 366. 367 si . . . si] ex sed . . . sed corr. 370 erat primum affructum. 371 exis] utrobique ex exsis corr. iam conieci; tam G. 372 prodest] d s. l. add. fructus] ex fructum corr. 373 carpisti 376 in spinis] in accusatiuum post. mut. 382 De uuis inter spinas colligendis alibi quoque fere eadem profert August., uerbi gr. Serm. 137, n. 13; Tract. in Ioh. 46, n. 6. 384 acriore] e in i post. mut. 385 nostri] non G. 390 cathedra Petri G; at uero nusquam alias apud Augustinum haec uerba simul coniuncta reperisse me memini, nec quicquam aliud hic expectes nisi ‚cathedra Christi'. 392 potes] particula non, quae praemissa erat, post deleta. 396 unum praecium 1 m. 404 futuros] o ex u corr. 407 reliquerunt] ex relinq. corr. 418 hereditatem] Luc. 12, 13. 419 qui] primum in quidem mut., post perperam del. 422 pastor] Ioh. 10, 16. 425 inter uos?] Luc. 12, 14. 426 cupiditate] ibid. 15. 433 habere] Luc. 24, 39 ubi Aug. modo ‚palpate' legit, modo ‚tangite'. 433 putarant] conieci; putarent, post. corr. putabant G. 435 ait illis] Luc. 24, 41. 436 oportebant] plur. num. G, nec desunt exempla. 438 de me?] Luc. 24, 44. 440 pati ibid. 46. 448 remisionem. incipientibus] hic et semel infra l. 468, alias incipiens, utrumque passim ap. Augustinum. 449 Ierusalem] Luc. 24, 47. 452 damno tuo] tuo postea uersus initio suppl. 456 incenderit] ex incendiderit corr. 461 in mediis gestis collationis nostrae] id est celebris Collationis Carthagine contra Donatistas an. 411 mense Iunio habitae. 463 nec persona personae praeiudicat] cf. Serm. 164, n. 13 (an. 411 exeunt.): ‚Et ille defensor illorum: Nec causa causae praeiudicat, nec persona personae'; de qua elicita confessione multus est Augustinus in aliis scriptis circa idem tempus editis, ut puta Epist. 141, 6 sqq.; 142, 3; 173, 7 sq., praesertim uero in libro Ad Donatistas post collat., n. 2. 3. 4. 5. 14. 24. 25. 38. 39. 52. peccabit 466 personae persona] ex persona personae, ut uidetur, corr. 469 sq. peccabit 471 quidamme 475 fratris] fratribus G ob praeced. ablat. 478 dic] om. G, suppleui ex. l. 417 supra. 483 fiet] fuit G.

# DE MULIERE CANANEA SECUNDUM MATHEUM

Mulier ista, quae clamabat post dominum, audistis quemadmodum quaesierit, petiuerit, pulsauerit, et apertum sit ei. Docet ergo nos quaerere, ut inueniamus: petere, ut accipiamus: pulsare, ut aperiatur nobis. Quid est ergo, quod dominus nolebat tribuere quod petebatur? numquid inmisericors erat? Sed sciebat quando daret, qui differebat dare: non enim suum negabat beneficium, sed illius exercebat desiderium. Clamemus ergo ad eum, quod modo cantauimus: Miserere mei deus, miserere mei, quoniam in te confisa est anima mea. Miserere, inquit, mei deus: quare? Quoniam in te confisa est anima mea. Hoc est, inquit, sacrificium quod tibi offero, ut exaudias me: quoniam in te confisa est anima mea. Quis sperauit in deum, et derelictus est? Fit enim in magnis temtationibus: et quantumcumque in deo proficiamus, sub uenia uiuimus. Numquid agnos paruulos, et non ipsos arietes, dominus Iesus docebat orare? Discipulos suos, apostolos nostros, ipsos gregis duces, quorum filii nos sumus, de quibus dictum est, Afferte domino filios arietum; ipsos ergo arietes docebat orare, quando eis dixit ut dicerent, Dimitte nobis debita nostra. Si cottidiana est ista oratio, sub uenia uiuimus. Et dimissa sunt nobis in baptismo cuncta peccata, et sub uenia uiuimus. Proficimus, si spes nostra in deo nutritur, et corroboratur illo a<d> iuuante, ut omnem concupiscentiam frenemus. Pugnemus: certamen nostrum illi notum est, qui et spectare nouit et a<d>iuuare.

Cantata erat antiphona ex Psal. 56, 2.

Sub uenia uiuimus.

180v 2. Audistis, cum apostolus | lege<re>tur: Scimus, inquit, quia lex spiritualis est; ego autem carnalis sum. Videte quis quid dicat. Lex, inquit, spiritualis est; ego autem carnalis sum, uenundatus sub peccato: quod enim operor, ignoro. Quid est, ignoro? Non accepto, non approbo. Non enim quod uolo ago, sed, quod nolo, illud facio. Si autem quod nolo hoc ago, consentio

Lecta Pauli ep. ad Rom. 7, 14.

legi quoniam bona est. Quid est, consentio legi? Quia quod nolo ego, hoc non uult lex: quando ergo quod nolo ago, et hoc nolo quod non uult lex, consentio legi quoniam bona est. Sed illa spiritualis est, ego carnalis sum: quid ergo fiet? Agimus quod nolumus: et si mala omnia agamus, inpuniti erimus? Absit, noli tibi hoc promittere: o homo, attende quod sequitur: Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Quod est peccatum quod appellat, nisi concupiscentiam carnis? Et ne forte diceres non ad te pertinere, ideo dixit, Quod habitat in me peccatum. Et quid est, Non ego operor illud? Carne concupisco, mente non consentio. Caro concupiscit, mens non consentit: ecce pugna. Permane, mens, in certamine tuo, et posce adiutorium a domino deo tuo. Permane, mens, in certamine tuo, et clama quod mulier illa: Domine, adiuua me. Permane, mens, in certamine tuo, et clama quod cantasti: Miserere mei deus, miserere mei. Ecce sacrificium: in te confisa est anima mea. In baptismo deletur iniquitas, sed manet infirmitas; in resurrectione autem nulla erit iniquitas, et consumetur infirmitas. Quando mortale hoc induerit inmortalitatem, et corruptibile hoc induerit incorruptionem, et fiet sermo qui scriptus est, Absorta est mors in uictoria. Ubi est, mors, contentio tua? Et si mortis contentio certamen est nostrum, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Concupiscentiam carnis peccatum uocauit: concupisco, sed mente non consentio, et concupiscentia ad malum stimulare non cessat. Haec est mortis contentio. Tunc autem exterior hostis diabolus sub pedibus erit, quando interior hostis concupiscentia sanata erit, et uiuemus in pace. Quali pace? Quam oculus non uidit, nec auris audiuit. Quali pace? Quam nullum cor cogitat, non aliqua prosequitur discordia. Quali pace? || fol. 181 De qua dixit apostolus: Et pax dei, quae superat omnem intellectum, custodiat corda uestra. De ipsa pace dicit Isaias propheta: Domine deus noster, pacem da nobis:

Sacrificium mentis, confidere in Domino.

Quanta a Deo promissa et iam adimpleta.

omnia enim reddidisti nobis. Promisisti Christum: reddidisti. Promisisti eius crucem, et fundendum sanguinem in remissionem peccatorum: reddidisti. Promisisti eius ascensionem, et de caelo mittendum spiritum sanctum: reddidisti. Promisisti ecclesiam toto orbe terrarum diffusam: reddidisti. Promisisti futuros hereticos ad exercitationem nostram et probationem nostram, et de illorum erroribus ecclesiae uictoriam: reddidisti. Promisisti abolenda idola gentilium: reddidisti. Domine deus noster, pacem da nobis: omnia enim reddidisti nobis.

Pugna cottidiana contra concupiscentiam.

3. Interim donec ad illam pacem ueniamus, ubi nullum hostem habebimus, diu et fideliter strenueque pugnemus, ut a domino deo coronari mereamur. Apostolus Iacobus ait: Nemo, cum temtatur, dicat quoniam a deo temtatur. Temtationem dicit, quae est ad seductionem. Deus, inquit, intemtator malorum est, ipse autem neminem temtat; unusquisque autem temtatur a concupiscentia sua abstractus et inlectus. Dein concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem. Ergo unusquisque temtatur a concupiscentia sua: ideo pugnet, resistat, non consentiat, non pertrahatur, non eam permittat concipere quod pariat. Ecce blanditur concupiscentia, stimulat, instat, exigit, ut mali aliquid facias: noli consentire, et non concipit. Si libenter cogitaueris, concipit: pariet, ut tu moriaris. Vide quod ait apostolus: Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. Dulce est peccatum, sed mors amara est: caue peccati dulcedinem, ne mortis sentias amaritudinem: caue concupiscentiam, et si non ad factum, certe ad uerbum. Audis aliquid libenter, quod non debes audire, dicis quod non debes dicere, cogitas quod non debes cogitare. Nihil cogitatione uelocius, alas incredibiles habet: de corde se excutit, et linguam transit: malum ante quam dicatur, cogitatur. Noli ibi stare. Obrepsit cogitatio: uade inde, perge alibi, noli ibi immorari. Non disponis male facere: quare libenter cogitas, quod non uis facere? Fratres mei,

peccata ista cui non sunt magna, dubitat | in illis perseuerare 181v quibus dominus dicit: Dicite, Dimitte nobis debita nostra. Quantumcumque proficiatis, concupiscentiam illam in uobis habetis. Antequam mors absorbeatur in uictoriam, ergo dicite: Dimitte nobis debita nostra. Nolite caput in superbiam erigere, deum timete: sub uenia uiuimus. Dicite ex toto corde, Dimitte nobis debita nostra. Hoc de praeteritis, hoc de factis, de dictis, de cogitationibus: de futuris, quid? Audite, et dicite quod sequitur: Ne nos inferas in temtationem. Vigilate et orate, ne intretis in temtationem. Quid est, intrare in temtationem? Consentire malae concupiscentiae. Consensisti? intrasti: uel cito exi. Antequam uenias ad peccatum, occide consensum tuum: gaude non te fecisse, paeniteat te cogitasse.

4. Fratres, habeamus cor sapientem: timeamus deum magna promittentem, terribilia comminantem. Vita ista quandoque finienda est. Videtis quia cottidie hinc transeunt homines: mors differri potest, auferri non potest. Velimus nolimus, uita ista finienda est; illam desideremus, quae finem non habet; ad quam uitam non est qua transeas, nisi per mortem. Non timeamus ergo illud, quod quandoque uenturum est; illud timeamus, quod si uenerit, et occupauerit nos in peccatis, trahit nos non ad temporalem sed ad sempiternam mortem: quod auertat deus ab omnibus, et a nobis, et a uobis. O homo, non times in aeternum mori, qui sic agis ut in aeternum tempus puniaris aut moriaris? Timor huius mortis te doceat, quomodo sit mors metuenda futura. Times mortem: numquid euades mortem? Velis nolis, necesse est ut ueniat. Times mortem, plus debes timere peccatum: per peccatum enim moritur anima, peccatum hostis est animae tuae. A peccato autem quandoque solueris: sed solutus a conpedibus corruptibilibus carnis, uide ne gehennae conpedibus alligeris. Solutus, liber esse debes, non seruus. Cauete fraudes, propter illam concupiscentiam quae auaritia uocatur: cauete turpia lucra, propter concupiscentiam quae auaritia uocatur; quia et ipsa auaritia radix est om-

Plus timendum peccatum, quam mors.

Ligaturae.

nium malorum, sicut scriptura dicit. Cauete ebriositatem, cauete adulterium, furtum, mendacium, falsum testimonium. Cauete a blasphemiis, a ligaturis, incantationibus, et a diuersis superstitionibus. Cauete || ab usuris et a foenore: nolite habere societatem cum foeneratoribus, dimittite eos. Veniet dies, quando eis dicetur: Pecunia uestra uobiscum sit in interitum. Veniet dies iudicii, quando pro ipsa pecunia, et cum ipsa pecunia, ardebunt in igne sempiterno, ubi erit fletus et stridor dentium. Pecunia illa in testimonium illis erit. Nolite sic dare, nolite sic accipere, ne incipiatis in die iudicii malam rationem de uobis deo reddere. Quid enim eis prodest, nisi ut pro pecunia, quam aut uiui perdituri sunt, aut mortui relicturi, animam suam perdant, quam redimere non possunt? Sicut dicit sanctum euangelium: Quid prode est homini, si totum mundum lucretur, animae autem suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Cauete ergo, fratres mei, ab usuris et a foenore, et nolite dicere: Et unde uiuemus? Hoc non est uitam quaerere, sed mortem. Nolite dicere, Et unde uiuemus? Sunt aliae causae, unde se homines transigant. Quod prohibet deus, nolite facere, nolite inde uiuere. O miser, et miserabilis, et infelix! attendis quia inde uiuis, et non attendis unde moriaris. Et unde, inquis, uiuam? Hoc mihi et leno potest dicere, hoc mihi et latro potest dicere: numquid ideo latrocinia facienda sunt, aut lenocinia exercenda, quia qui ea faciunt inde uiuunt? Vae miseris qui inde uiuunt, quia inde moriuntur. Melius mendicatur, quam de inlicito uiuatur. Postremo melius est ut homo moriatur, quam de inlicito uiuendo id efficiatur, ut morte sempiterna crucietur. Mors ista finit dolorem: mors illa in aeternis doloribus permanet. Credite, intellegite, timete. ab omni re mala uos abstinete; studete uerbo dei, amate audire quid uelit deus, et facientibus uoluntatem suam quid promittit deus. Et ut fiat quod iubet, rogetur deus, et adiuuat deus.

fol. 182

Multi inde uiuunt, unde moriuntur.

Vide Praefat. ad n. XCII. 4 erat primum, sicut ubique hac tenus, quem ammodum. 11 quod modo cantauimus] quod de una ex antiphonis intellegas uelim, quae a populo uniuerso decantabantur: hae porro ut plurimum erant ex translatione aliqua antiquiore mutuatae, ideoque non in omnibus cum uersione, qua Augustinus utitur, concordant. 12 mea] Ps. 56, 2. 16 sperabit G. derelictus est] ex Eccli. 2, 11 et 12 confl. Fit enim in magnis temtationibus] G ubi mendum inesse uidetur, cui medelam non inuenio; attamen adiectiuum magnis adiectiuo paruulos uers. sq. respondere censeo, itemque in uoce temtationibus propter ablat. plural. qui praecedit, uti saepe alias in codice, erratum esse; enim quoque pro etiam falso passim scribitur: ut fit etiam in magnis temtatio aliudue simile legendum putem. 19 discipulos suos, apostolos nostros] cf. Tract. praeced., l. 12: ,discipulis domini Iesu Christi, apostolis nostris' et alibi. 21 arietum] Ps. 28, 1. 23 nostra] Matth. 6, 12. 24. 25. 113 sub uenia uiuimus] tergeminum effatum, ut ,uenit unus contra unum' supra Tract. XXXI, n. 1 et ,permane mens in certamine tuo' infra l. 49—51. 25 profecimus G. 26 aiubante 28 nobit. aiubare. 29 legetur 32 peccato] Rom. 7, 14. 35 facio] ibid. 15. 36 est] ibid. 16. 44 peccatum] ibid. 20. 51 me] Matth. 15, 25. 54 in baptismum 59 uicturia G; I Cor. 15, 54. tua?] ibid. 55. 63 ad malum] haud cunctanter emendaui ex animalium; uidelicet scripsit more suo librarius ammalum, indeque confusio orta est. 65 suppedibus 66 oculos 67 audiuit] I Cor. 2, 9. 70 uestra] Phil. 4, 7. 72 nobis] Esai. 26, 12. 85 sq. temtatur... temtationem] p post tem 2 m. s. l. add. 86 asseductionem 1 m. 87 temtat] Iac. 1, 13. 89 inlectus] ibid. 14. 91 mortem] ibid. 15. 100 ad factum] 1 m. affactum. 106 disponis] perperam corr. disponas. 109 dicit, Dicite] minus eleganter, at idem supra habes l. 22: ,quando eis dixit ut dicerent, Dimitte.' 116 inferas in temtationem] Matth. 6, 13. 117 intretis. i. temt.] Matth. 26, 41. 122 cor sapientem] 1 m. rhythmicis legibus consentanee, posterius uero rudi manu cor sapiens corr.; at certe etiam antiqui cor masculini generis esse censuere (cf. Thes. ling. lat. IV, 930), et ex Benedicti Reg. Monach. c. 5 commemorare iuuat ,qui cor respicit murmurantem'. 130 assempiternam 1 m. 137 moritur] ex morietur corr. 139 corruptibilibus] eadem rudi manu in corruptibilis mutat., quae paulo ante cor sapiens ex masculino emendauit. 144 malorum] I Tim. 6, 10. 149 uenient G, ubi n ex abundanti esse seq. uersus ostendit. 150 interitum] cf. Act. 8, 20. ueniet] hoc loco ex uenient merito corr. 152 dentium] Matth. 8, 12 et al. 158 prode est] e 1° loco post deleta. 160 sua] Matth. 16, 26. 161 nolite] te s. l. suppl. et unde] et s. l. pariter add. 162 sq. uiuemus] ex uiuimus utroq. loco corr. 177 promittit] pro promittat?

 

# APPENDIX

## SS. OPTATI MILEVITANI
## QVODVVLTDEI CARTHAGINIENSIS EPISCOPORVM
## ALIORVMQVE EX AVGVSTINI SCHOLA
## TRACTATVS NOVEM

IN EODEM COD. GVELFERBYTANO REPERTI

# DE NATALE DOMINI

Hodie, fratres carissimi, caeli desuper rorauerunt: hodie aperta est terra, et genuit saluatorem. Felix illa terra, quae sine semine caelestem saeculo protulit panem, et mundo genuit saluatorem. Hodie inter caelum et terram pacem fecit filius uirginis matris: culpas hodie genitricis abstulit uterus sanctitatis. Celebrant saecula tanti consulis | diem, cuius natiuitatem gemmatus 4
iam pauet Herodes, ad cuius cunas regalis diadema terretur, cuius per praesepium tremit inmane palatium. Virtutem saeculum uidet nascentis, qui prius terruit quam lactauit. O fidei pactum! o fidele secretum! Virgini promittit angelus filium nasciturum: uirgo gaudet, cupitque effici mater: gemina ratione turbatur, quod per eam deus uelit in hominem nasci, et nulla possit incorrupti uteri damna sentire. Age, optime Gabrihel, tam mundo gaude negotio, et auribus sacrae uirginis angelico ore tanti numinis nomen infunde. Scire debet uirgo, cui paret assensum: isto nuptiali foederi corda, non membra, paranda sunt. Aduentus eius in uterum ordinem refer: hoc uirgo, hoc casta, hoc pudica cupit audire; quae uirum non nouit amare, nouit de incorrupta uirginitate gaudere. Iam indica, quaeso, et caelestis curiae pande secretum: noli, noli diutius rationi moras innectere: cogitantem de tua salutatione uirginem uide. Maria, inquit, cogitabat qualis esset ista salutatio. Et angelus ad eam: Ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam apud deum; ecce concipies in utero et paries filium, et uocabis nomen eius Iesum. Subito puella territa mente est, et de sui uteri incorruptione secura suam interrogat castitatem. Quis hic, o castitas dulcis, noui sermonis portitor uenit? <E>quidem damna nobis non inferunt, quae promittit: sed quomodo habere filium poterit non copulata marito? Itane aliquando contigit, uirginem sine coitu concepisse, et contra naturam illibatam genuisse, gaudereque de nato, pudore seruato? Audi quod mecum, castitas, admireris: audi, inquam, quod

Aduentus Numinis in uterum Virginis ordo.

me magnam faciat genitricem, et per saecula cuncta felicem. Claustra ingredietur deus, claustra nostri pudoris grauidata: uidebor te teste quod uirgo sim: celabitur lege seruata nas-
fol. 5 cendi: in sanctis nascetur uisceribus filius maiestatis. ‖ Nec aequ<al>itatem suam mouit, quia homo fieri uoluit, sed uoluntatem patris impleuit. Nascitur pulchra origine deus, et natus assignat uirginem matrem, et te, castitas, tui nominis perpetuitate gaudentem. *Ecce ancilla domini: fiat mihi secundum uerbum tuum.* O oboedientia<m> sacrificio meliorem! O fides, imple promissas fidei. Subito spiritus sanctus insedit, et per aurem inmaculatum corpus intrauit: sedit in tribunali cordis eius, sanctificauit interiora eius, nouumque in uisceribus plasmabat Adam, et per quem factus est primum captiuus, per ipsum redemptus est mundus. Statuto die deum hominemque sacer uirginis uterus fudit, et ad natiuitatem pueri stella processit; ut deum et regem apice fuluo coruscans hominibus demonstraret, suumque factorem lucifluum sidus desuper salutaret. Veni nostra per uirginem uita: ueni optime pastor, et gregem luporum patentem morsibus salua. Ecce, dum nasceris, gloria intonat caelum: mundus omnis super et terra pace ditatur: indulgentia tua infernus ut re<sus>citetur expectat.

2. Cur solus pauet Herodes? cur iram dolosae pacis falsitate concinnat? Noli, miser, putare quod putas: hunc, quem paues ne tui regni sublimis apicem teneat, esse regem cognosce caelorum. Non potest dominus uilicus esse colonis. Audi quod de se, antequam carnem indueret, iste, qui natus apparuit, dixit: Per me, inquit, *reges regnant, et tyranni per me tenent terram.* Non hunc terrificus illustris ornatus, nec purpurae pereuntes, mille trahentes aduerso sole colores, sed prophetarum admonitio, postremo angelus eius sanctus, et caeleste mancipium, uirgini futurae matri quod uenturum fuerat nuntiabat. Sed licet iram corde mineris, licet dolos excogites, et in domini nostri Iesu Christi pernI-
Innocentium strages describitur.
ciem rudis corpora paruulorum crudeli ferro perfodias, uel in dura lapidum mole collidas, Christo martyres facis. Nam

Christum nec inuenies, nec occides, ut euangelista testatur: Et tunc misit Herodes, et occidit omnes | infantes 5 qui erant in Bethlem a bimatu et infra. Quid non faciat uesanus furor? quid non excogitet mali, qui bonis numquam rebus infulsit? Rapiuntur ecce ab uberibus matrum noui dulces affectus: strictis matres amplexibus tenent, quarum colla breuia brachia constrinxerunt filiorum. Fremebant diuersis planctibus urbes, castella, uicus. Pro dolor, libet sermonem proferre de extinctu filiorum. Subito dum miles armatus domum intrabat, et quamuis iam facinus scelerata fama praecesserit, tamen genitor siue mater: Quid, inquit, quaeris? cur, miles, ingressus es? At ille toruo uultu et minacibus oculis totius domus loca perlustrat, nec quid quaereret poterat indicare: quia operi regio uolebat iniuste parere, ne facinus antequam perficeret publicaret. Districto ense huc illucque uagatur. Si licitum est boni aliquid de tortoribus, de carnificibus suspicari, arbitror quod possint pietate moueri, si durus ille carnifex pius esset pro aetate qua iubebatur occidi, antequam disceret loqui. Figebantur in delicatis membris uulnera, et rudis conpago membrorum illisa quasi duro silici uidebatur sanguine subsequente districta. Pendebat ad militis manum nouus uitae hospes hesternus ilico uitam finiturus. In saxo infantes pro infante eliduntur, in petra pro petra: Petra autem erat Christus. Vox in Rama audita est fletus et luctus, Rachel plorans filios suos. Euntes ibant et flebant, reddebant effectui quod debebant: nam Christo martyres dirigebant. Exulta, laetare, populus dei: hodie saluator natus est Christus, constitutus est nobis in frequentationibus iste dies. Natus est, inquam, hodie Christus, qui est ante saecula deus. Festus nobis erit iterum dies, cum surrexerit passus: quia uiuere redimique non poterat mundus, nisi fuisset Christus occisus.

Resurrectionis dies et Natalis inter se conexi.

1 Vide Praefat. ad n. III. DOMINI] add. num. III. G. 3 saluatorem] cf. Esai. 45, 8. 7 caelebrant 9 diadema] femin. generis, nec desunt alibi exempla. 10 saeculum] conieci; saeculi G. 15 nul-

lam. incorrupti] o ex u s. l. corr. 18 isto] sic G. 19 menbra 28 Iesum] Luc. 1, 29. 30. 31. 30 uenit? Equidem] conieci; uenit quidem G. 34 gauderetque G. 35 admireris] item ex coniectura; admiseris G. 38 caelabitur. 40 aequalitatem] aequitatem G. 44 tuum] Luc. 1, 38. oboedientia. 45 promissas] sic. 49 statuto die deum] scripsi; statuto hodie die G, deinde deum in marg. suppl. 51 apicifuluo G. 55 gloria] s in fine del. 56 resuscitetur] conieci; recitetur G. 64 terram] ex Prou. 8, 15 et 16 conflatum, uti ap. August. De nat. boni, c. 32. 74 Bethlem] sic. infra] Matth. 2, 16. 79 uicus] sic, quarta declinatione? 83 illi G. 86 perficeret] i ex e s. l. corr. districto ense] sane legendum; disticto in se G. 89 qua] pro quae? 90 figebantur] n suppl. s. l. menbris. 94 eliduntur] cf. Ps. 136, 9 95 Christus] I Cor. 10, 4. 96 suos] Matth. 2, 18. 97 flebant] Ps. 125, 6. 100 in frequentationibus] ex Ps. 117, 27 iuxta antiq. uers. 101 Festus nobis erit iterum dies etc.] Antiquus sane mos est occidentalis ecclesiae uenturum Paschalem diem intra Natiuitatis seu Epiphaniae sollemnia nuntiandi.

# IN NATALE INFANTUM QUI PRO DOMINO OCCISI SUNT

Aduenit ecce dies, qua sacramentum christianae natiuitatis sollemnitate debita celebremus, in quo et nos deo mixtos agnoscimus, et erroribus liberatos scimus: spem quietis aeternae uidemus, ac per- fol. 9 inde‖perseuerantiae laborem non inuiti subimus. Nascitur enim dominus Iesus Christus, homo deo mixtus, qui ecclesiam in semetipso deo misceret, et sequuturis fratribus exemplum uirtutis ostenderet, ac si<c> caelestis regni mercedem fidelibus aperiret. Exoritur enim stellae maiestas, regnum nouum et lumen credentibus manifestans, quae ex ultimis terris excitat magos, ut regem animarum deuota mente perquirant. At illi festinant, quaerunt, inueniunt, mysticis muneribus honorant; et per aliam uiam iussi remeant, scilicet ne illi, qui iam Christum cognouerant, erroribus pristinis inhaererent, sed in aliam uiam, id est in bonos mores actus suos et totum uitae ordinem ducerent, et se euasisse gauderent. Hinc et Herodes furit insanus; immo uero diabolus in Herode deiectus dolet ecclesiam suis fau-

In Christo homine Deo mixto ecclesia quoque Deo miscetur.

cibus ereptam et deo coniunctam. Sub dolis tamen subtilibus adoraturum se dominum simulat, ut hominem deo mixtum, si fieri possit, occidat; quem spiritus sancti gubernatione subtractum inuenire non meruit, et <inde> tantam caedem cruentus indixit. Haec est uia caelorum, ueritas euangeliorum, perpetua uita sanctorum. Ego sum, inquit, uia ueritas et uita: nemo uenit ad patrem, nisi per me. Si ergo ipsa est uia caelorum, quam secuturis fratribus patiendo substrauit, si ueritatem absconditam reuelans uitam credentibus dedit, qui fideli militia signamur, christiana uestigia intrepide consequamur. Si nos odio mundus habet, si potestas regalis insequitur, iam ipsum dominum odiit, et subdole inquirens necare quaesiuit; et cum pro Christo infantes interfecit, turbam martyrum fecit, nec tamen Christum, quem male quaerebat, inuenit.

Qui nos odio habet mundus, ipse Christum infantem necare quaesiuit.

2. Tunc Herodes cum se inlusum uideret a magis, misit in Bethleem et in omnes fines regionis illius, et interfecit infantes omnes a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis. O gloriosa mors infantium occisorum, quibus contigit pro Christo ante poenam pati quam nasci, ante domini sui fieri comites quam homines, prius martyres quam fideles! Aetas minus stabilis ad pugnam idonea facta est ad coronam: ante regnatur quam uiuitur, prius paradisus quam terra cognoscitur: praecedunt | 9v palmae laborem, antecedunt coronae dolores. Ostensum est totam innocentiam pro Christo debere uexari, quando in eius natiuitate infantes uidimus occidi. Semper enim innocentia pro ueritate in saeculo laborauit, quia inter ipsa initia mundi inimicitias cum diabolo insidiatore suscepit, quando diuina sententia utraque haec semina aduersum se aemulatione molesta constituit: Ponam, inquit, inimicitias inter semen tuum et semen mulieris; ipsa tuum obseruabit caput, et tu eius obseruabis calcaneum. Haec ergo aemulatio, haec innocentiarum condicio ab initio rerum sanctum sanguinem manat. Denique statim Abel iustus innocens a fratre necatur, et qui deo placuerat, crudeli uulnere truci-

Innocentes prius martyres, quam fideles.

Innocentia ab initio rerum persecutionibus obnoxia.

datur. Ideo autem in terris sanctorum sanguis inpune interim funditur, ut in iudicium [......] si non praecederet patientia sanctorum? Aut quis esset qui uindicaretur, si christiana mansuetudo non pateretur? Inde iam omnes iusti et electi prophetae per tractus temporum et decursiones aetatum impiis dominantibus oppressi, fugati, necati sunt; ut nemo eorum habeatur inmunis, qui non aut sanctum sanguinem aut pias lacrimas fuderit, uel graues gemitus aut indignos dolores ediderit. Si ergo eadem forma in patribus ante praecessit, eadem in Christo etiam nunc recidiuo sacramento florescit, scilicet ut innocentia omnis pro ueritate in saeculo iuguletur. Beati etiam nos sumus, qui pro ecclesiae ueritate

Potestatum terricula.

inimicorum minis et potestatum terriculis fatigamur: forsitan etiam nos innocentes apud deum aestimati sumus, quando talia pro Christo pati meruimus, dominica uestigia sequi, sanctorum meritis adaequari, in saeculo laborare, cum Chri-

Fratres apostatae.

sto regnare, ueritatem ecclesiae tenere, et fratres apostatas irridere. Sic enim scriptum legimus: *Spreuit te, uirgo filia Sion; super te caput mouebit, uirgo filia Ierusalem.* Minatur inimicus, et irridet ecclesiam: ille persequitur, et haec gloriatur: ille percutitur, et haec coronatur. Ita fides in sanctis nec uiua succumbit, nec mortua erubescit: in morte enim durando uincit, quod fideliter in uita seruauit; maxime

fol. 10 cum alieno la || bore patiatur, alieno tegmine subleuetur. Dum enim Christo credendo miscetur, ipse iam in suo corpore, id est, in ipso homine proeliatur. De homine fides exigitur, de Christo tutela perquiritur: inde semper christianus inuictus abscedit, quia cum spiritu sancto in proelium descendit. *Nobiscum, inquit, deus. Scitote, gentes, cum confortatae fueritis, iterum minoramini; et quodcumque consilium cogitaueritis, dissipabit dominus.*

3. Quando enim stabile potest uideri, quod aduersus deum initur consilium, quod contra deum cogitatur? Cadat necesse est, et in ipso conatu frustretur, quod in perniciem innocentium sacrilego furore conponitur. Denique antequam moueat, detegitur; antequam cogitet, denudatur. Simulat se

Herodes Christum adorare, et subdolis insidiis quaerit occidere. Hunc dei nutu angelus uidet, consilium prodit, infantem in Aegyptum asportari demandat, donec ipse in mortem cadat, qui corpori christiano, id est, ecclesiae interitum cogitabat. Sic in somnis angelus ad Ioseph: Surge, inquit, et uade in Aegyptum, et esto illic, quoadusque tibi dixero; incipit enim Herodes quaerere puerum, ut eum occidat. Paululum Herode defuncto, idem angelus ad Ioseph: Surge, et uade in terram Iudeam; mortui sunt enim, qui quaerebant animam pueri. O ratio mystica, totius temporis continens documenta! Cum solus Herodes persecutor ibi fuerit, plurimos dixit in eius morte perisse. Mortui sunt, inquit, qui quaerebant animam pueri. Quid est, quod plurimos tetigit, nisi quia in Herode persecutore omnes omnino posterioris temporis persecutores extinxit? In domino enim totius ecclesiae figura uersatur, et in Herode omnium persecutorum iniquitas condemnatur. Sicut ergo in domino omne ecclesiasticum corpus de loco in locum inimico persequente mouetur, et totius secuturae fidei labor ostenditur; sic in Herode omnium persecutorum consilia nudantur, et aeterna ultione necantur, sicut scriptum est: Insurgam super eos, dicit dominus, perdam eorum reliquias et semen. His itaque fideli mente perspectis, frustra sibi Christianus de mundi securitate blanditur, frustra in omni persecutionis |labore turbatur. Ipsius est enim quod credit, 10v sed non est ipsius quod euadit: ipsius est quod confitetur, sed non est ipsius quod ab inimico defenditur. Herodem enim non homo sed angelus denudauit: a quo praeuentus inefficax latro remansit, qui se occidisse sensit, quem diuino consilio non inuenit. Ita posterior ecclesia sanctorum angelis protegentibus custoditur, et hosti abripitur, quia in omni persecutione non superatur. Angelis, inquit, suis mandauit de te, ut custodiant te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Habes iam, fidelis et deuota fraternitas, protectionem angelicae paraturae: nescia protegeris, nescia gubernaris. Hoc tantum quaerebatur, ut crederes: cetera Christus imple-

*In Herode posterioris temporis persecutores praefigurati.*

*Protectionem angelicae paraturae habet Ecclesia.*

uit. Firma esto sensu, deuota fide: expecta auxilium <de> deifica pietate.

4. Offeramus itaque, quod magos domino obtulisse comperimus: aurum, thus, et mirram. Sed nos aurum non habemus, quia mundi bona reliquimus: quid ergo factura es, praelecta pauperies? qualiter ad Christum ingredi poteris? qualiter adorabis, cum nec auri tecum pondus aut turis aut myrrae suaues odores attuleris? Non de te aurum quaeritur, Fidei pretiositas. sed fidei pretiositas flagitatur. Aurum illud, quod magi ferebant, pretiositatem fidei demonstrabant. Neque enim uere aurum Christus desiderabat, qui totam auaritiam damnaturus aduenerat: Myrrhae supplicamenta. nec turis aut myrrae supplicamenta quaerebat, quia nouus sacerdos nouorum sacrorum tus et spiritalia deinceps sacrificia demandabat; sed accipiebat in auro a credentibus fidem, in myrra uel thure passionis et sanctitatis amabilem suauitatem. Nam sicut reges saeculi ab his, quos uincendo in suae dictionis iura uerterunt, et tributa exigunt, Aurariae indictiones. et aurarias indictiones fidenter exposcunt; ita etiam dominus Christus, rex aeternus, passionis suae perfecta uictoria, de his quos diaboli captiuitati subripuit, et suae seruitutis dominio subiecit, exigit principaliter fidei aurea munera, exigit sanctitatis et passionis. Actus enim nostri et inter homines flagrant, et caelorum regna conscendunt: quidquid agimus, existimationis fumo et opinionis odore uulgatur: fol. 11 et si quid || recte flagrauerit, diuinus exinde animus oblectatur, quia deus per hominem clarificatur; et credentium uita redimitur, dum bonis incitamentis credulitas prouocatur. Si uero triste aliquid et aduersum ex illius hominis conuersatione prodierit qui Christi nomen infamat, mortis huiusmodi odorem flagrat, quia exemplo suo consimiles necat, Quid possint exempla siue in bonum, siue in malum. apostolo dicente: Quibusdam odor mortis in mortem, quibusdam odor uitae in uitam. Odor uitae in uitam, dum bonorum exemplis pro caritate multi in uitam aeternam credendo saluantur; odor mortis in mortem, dum pessimorum moribus inflammati, taliter uiuendo in mortem consimiles prouocantur. Sic illi lumen uiuendo secuntur, et uiuent;

sic impii consilium prauitatis amando quasi odoribus mortis prauitate necantur. Quemadmodum scorpius adustus cum nidore conbusti ueneni totius domus tecta repleuerit, ceteros ex occultis rimulis et refossis angulis conbustionis suae odoribus prouocat, et calori consimilis mortis morituros adducit; ita omnes homines in peccata decliues cum odorem malae existimationis alicuius auari passiui aut intemperantis acceperint, peccandi occasionibus irritati, in similia peccata prouocati concurrunt, et consimilis mortis exitum sumunt. Quibusdam odor mortis in mortem, quibusdam odor uitae in uitam.

5. Propterea itaque dextra atque sinistra mortis et uitae odores ante oculos duximus, ut quidquid utile et necessarium ex aliis imitando capimus, et ex nobis ipsis ceteris praebe<a>mus. Hic est odor flagrantium aromatum, quem relictis erroribus magi Christo portabant, et nostrae similitudinis imagines demonstrabant. Itaque etiam si nos magorum exemplo relictis erroribus mundi dominum caeli quaesiuimus, auro et odoribus, id est, fide et sanctis operibus dominum, quem cognouimus, oblectamus. Longe absit iniquae conuersationis teterrimus odor, et serpentinae conbustionis mortalis nidor, qui et bonis pericula generat, et inpossibiliter malos necat. Si diabolo, si mundo renuntiauimus, pestifera haec itinera non requiramus, | carissimi: imitemur magos, audiamus an- 11v
gelos; ut non per illas iterum uias ambulemus, quibus aliquando dominum nescientes errauimus. Hoc est Christum quaerere, hoc et inuenire, hoc fideliter adorare. Et si innocentiam nostram inimicalis infestatio conpulsat, si sacrilega infestatio fatigat, sciamus ipsum dominum, qui est initium et forma sanctorum, his regalibus insidiis appetitum, et in illo totum ecclesiasticum corpus de loco in locum persecutione commotum; quod tamen angelis gubernantibus tegitur, et inimico prostrato in deo seruatur. Omnia illa temtationum genera molitur, omnium nequitiarum uires exequitur; sed illius, quem appetit, uictrici planta calcatur. Carissimi, Super aspidem, inquit, et basiliscum calcabis, et con-

Dominus initium et forma sanctorum.

culcabis leonem et draconem. Carissimi, Quoniam sperauit in me, protegam eum, quia cognouit nomen meum.

6. Speremus ergo in domino, et liberabimur a diabolo. Unde ille reuocat, illo deuotione pertinaci curramus; a quo nos auertere quaerit, omnino non deseramus: quid nec pater omnipotens derelinquit, de quibus ante cogitauit, nec spiritus sanctus, quos tuendos accepit. Omnia nobis in deo salua sunt, si fides salua permaneat: et amor filiorum, et consortium angelorum, si uiuat in sensibus nostris memoria praeceptoris, pro his laboribus fidelia munera, et perpetui regni aeterna solatia, spiritalia tributa. Hoc est aurum thesauris caelestibus necessarium, quod non habet regalis ambitio, non saeculi huius nobilis et sublimis elatio, sed sola filiorum Abrahae humilium omnium spreta et conculcata despectio, sicut Isaias praedicans ait: Afferentur, inquit, munera domino sabaoth a plebe tribulata et humili et despecta, et non a plebe magna. Offeramus ergo regi saeculorum fidei auream pretiositatem, quae in fornace persecutionis non cinerescat. Quantum pressurarum secularium flammis excoquitur, tantum perseuerantiae claritate fulgentior deuotione conspicitur. Sicut aurum, inquit, in fornace, sic electa corda apud dominum: quod scilicet uruntur, probantur, et examinata thesauris caelestibus reconduntur. Tra- fol. 12 detur, inquit, in thesauris salus uestra; ibi pietas et || scientia ad dominum: hi sunt thesauri iustitiae. Istae sunt caelestes opes, sanctarum animarum multae redemptiones. Diuitiae saeculares multo auro laetantur, et diuitiae fidei multarum animarum redemptione gratulantur. Hoc est aurum probatum, fidei nostrae praemium, et bonarum mentium pretiosum supplicamentum; quod comita<n>tur thuris et mirrae suaues odores, id est, sanctitatis et passionis deificae uoluntates. Nihil est enim, quod pater omnipotens libenter accipiat, nihil quod pro summis supplicamentis propitiatus attendat, nisi christianorum illibatam conuersationem, et usque ad mortis exitum durantem fidei deuotionem. Quod apo-

Omnia nobis salua, si fides salua permaneat.

stolus confirmat, et dicit: Estote, inquit, imitatores dei tamquam filii dilectissimi, et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit uos, et tradidit se pro uobis oblationem et uictimam deo in odorem suauitatis. Qui enim a peccatis abstinuit, qui iustitiam tenuit, qui humilem subleuauit, suaues odores incendit: qui afflictum periculis eripuit, desertum fouit, inopem tolerauit, magnum sacrificium deo libauit: qui pacifice cum fratribus uixit, et adhuc aliena peccata ulcisci noluit, diuinam mentem uoluptuosis odoribus oblectauit. Ista sunt odoramenta quae magi ex ultimis terris Christo portabant. Cui est honor, uirtus, gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

1 Vide Praefat. ad n. VI. In codice Aurelianensi 154 (al. 131. ex Floriaco, saec. VII/VIII.) inscribitur: „Incipit sermo in natale sanctorum Innocentium qui pro domino occisi sunt sancti Optati Mileuitani episcopi.' INFANTUM] infra in subscriptione, hic uero INFANTORUM G. 3 christianae] pro Christi? cf. tamen infra l. 30 et 96. 10 sic] si G, propter c quae sequitur. 12—15 credentibus . . . honorant] haec litteris tenuioribus scripta in ras. 13 excitat] exercitat G. 16 erroribus pristinis] Optat. 49, 18 (C. S. E. L. t. 26.) ,ad pristini erroris libertatem.' 17 suos et] s. l. corr. ex sui 21 sub dolis] cf. Optati indicem p. 320. 24 inde] restituendum conieci ex duabus litteris deletis, in quibus m seu in facile agnoscas. 27 me] Ioh. 14, 6. 28 ipsa] pro ipse? 29 substrauit] s 2° loco s. l. suppl. 30 christiana] pro Christi? 32. 194 potestas regalis . . . regalibus insidiis] Optat. 134, 6 ,regalem purpuram'. 37 misit] 1 m. s. l. suppl. 39 magis] Matth. 2, 16. 41 domini sui fieri comites] cf. Optat. ind. p. 259. 43 idonea i. e. ad coronam] Optat. 55, 7 ,ad paenitentiam agendam idonea'. 44 paradysus G. 46 debere] s. l. corr. ex habere: cf. indic. Optati p. 266. 48. 67. 72 in saeculo] cf. ibid. 315. 48. 72 laborauit . . . laborare] absol., ut ap. Optat. ibid. 288. 50 utraque] emendaui ex uera quae 53 calcaneum] Gen. 3, 15. 54 sanctum] in marg. m. recent. corr. sanctorum; sed cf. infra l. 63. 55 manat] s. l. ex manet mox corr. 56 necatur] c ex g s. l. corr; item infra l. 62 necati ex negati. 58 ut in iudicium] nonnulla profecto hic desiderantur, quae punctis indicaui, ex cod. Aurelianensi aliquando restituenda. 62 oppressi fugati necati] Optat. 73, 17 ,posset respirare uestiri pasci gaudere' et ind. p. 254 (asyndeton). 74 spreuit te] restitui ex coniectura, ac sic certe legunt Hieron.

contra Iouin. 1, 32 et Euagrius, CSEL t. 45, p. 15, 10; in scripto G. 75 mouebit] ita cum G etiam cod. C Bratkii ibid. Ierusalem] Esai. 37, 22. 79 durando et 236 durantem fidei deuotionem] Optat. indic. p. 271. 85 cum] s. l. suppl. 87 dominus] Esai. 8, 8. 9. 10. 95 asportari] i ex e s. l. 96 corpori christiano] cf. supra l. 3. 30. 99 occidat] Matth. 2, 13. 100 paululum] u 1º loco s. l. suppl. 102 pueri] Matth. 2, 20. o ratio] scripsi; oratio G. 103. 106 Herodes persecutor . . . in Herode persecutore] Optat. 91, 5 ‚sub persecutore Floro'. 115 semen] Esai. 14, 22. 116 sibi Christianus de mundi securitate blanditur] Optat. 131, 23 ‚nolite uobis blandiri de dicto a. Pauli'. 117 sq. ipsius est e. quod credit . . . ipsius est quod confitetur] haec ante exortum Pelagianorum dogma dicta memineris uelim. 122 angelis protegentibus custoditur] Notatu sane dignum, quantum huic angelicae quam uocat paraturae insistat antiquioris aeui orator: cf. ind. Optati p. 221. 122 hosti] conieci; hostis G. 125 ad] d s. l. suppl. 126 tuum] Ps. 90, 11. 12. 127 angelicae paraturae] cf. ‚paraturas daemonum' ap. Arnobium, Migne 53, 404 A. 129 de] praepositionem propter syllabam sq. de excidisse uidetur. 133 quia mundi bona reliquimus] ex his aliisque passim tractatum in religiosorum uirorum coetu habitum esse aliquando suspicatus sum. 134 praelecta] pro praeelecta? 137 sq. fidei pretiositas . . . . pretiositatem fidei] itemque fidei auream pretiositatem l. 219; uocabulum ‚pretiositas' trino loco ap. Arnobium olim a me notatum est: cf. ‚Études' etc. I, 379. 138 fidei] repet. dei G. 140 supplicamenta] iterum infra l. 231. 234., Africana dictio, de qua uid. H. Rönsch, ‚Itala u. Vulg.' p. 24. 142 demandabat] ut supra l. 95. 146 indicciones 151 flagrant] ita G. 160 uitam] II Cor. 2, 16. 166 prauitate] conieci ex pruritate. 167. 185 nidore c. ueneni... mortalis nidor] Optat. 90, 19; 146, 18. 20. ‚inmundis nidoribus'. domus] u ex i s. l. corr. 169 calori] haud sine scrupulo emendaui; coluni G, post. coloni corr. consimiles G, cui uoci post. m. s. l. praem. in: cf. l. 173. 171 intemperantes. 173 consimiles. 178 capimus] pro capiamus? praebemus G. 186 pericula]ri s. l. suppl. 194 forma sanctorum] cf. indic. Optati p. 276 sq. 201 draconem] Ps. 90, 13. 203 meum] ibid. 14. 212 aeterna solatia] huc usque in cod. Aurelian. textus progreditur. 214 Abraehae. 215 sq. sicut Isaias . . . plebe magna] tenuioribus litteris 1 m. in ras. rescript. 217 dispecta 218 magna] Esai. 18, 7. 221 exquoquitur. tantum] ex tanto 1 m. corr. 222 fornace] Sap. 3, 6 et Prou. 17, 3. 223 traditur 226 iustitiae] Esai. 33, 6. isti. 231 comitatur 239 sicut] m. recentiori in qua mut. 240 suauitatis] Eph. 5, 1. 2.

# DE DOMINICA ORATIONE

Dominicum semen per manus linguae nostrae in uestris cordibus ac ||cedimus seminare: eia, fratres (fol. 34) mei, tamquam terram bonam uestra corda parate; aratro crucis proscindite, et fructum dignum deo agricolae afferte. Suscipite semen sanctum, semen unicum, semen pretiosum; quoniam, sicut psalmus dicit, Dominus dabit bonitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Nolite esse terra qualis est uia; ubi, sicut dominus in euangelio dicit, missa semina et a transeuntibus conculcantur, et a uolatilibus colliguntur. Via est mala suasio, male tibi loquentes, male tibi suadentes; si admittis illos ad aures tuas, faciunt per te uiam, et quasi transeuntium plantis obduratur cor tuum, ut semen uerbi dei quod percepisti germinare non possit: tollitur enim inde a uolatilibus. Volatilia sunt diabolus et angeli eius, quibus te iam professus es renuntiasse; ita autem tollunt uerbum de corde tuo, ut nec quod recorderis inuenias. Contra istos tales suasores, id est improbos et pessimos uiatores, per aurem cor penetrantes, et calcando indurantes, remedium tibi datur in scripturis sanctis. Vult enim te sermo dei quasi rusticum diligentem esse in agro dei, hoc est, in ipso corde tuo; et quid tibi dicit? Sepi aures tuas spinis. Sepi, inquit, et spinis sepi: ut qui adire temptauerit, non solum repellatur, sed etiam pungatur spinis. Sepi, ne fiat per agrum tuum semita: qui transire uoluerit, pungatur, et ager muniatur; qui uoluerit mala suadere, punctus abscedat. Quid est, punctus abscedat? Ne suspicetur te delectatum, inueniat indignatum; cum enim male acceperis, et mala tibi suadentem repuleris, nemo tibi audebit mala suadere, et erit tutus ager tuus: quoniam corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Via est mala suasio.

2. Noli esse etiam ager lapidosus: ager enim lapidosus cum semina acceperit, altam radicem semina figere non possunt in lapide; de proximo exeunt, sed aestu facto cito arescunt. Tales, inquit, sunt — ipse dominus, ipse enim qui proposuit — tales, inquit, sunt qui audiunt uerbum, et ad

Radix caritas.

horam exultant; cum autem facta fuerit pressura tam-34v quam aestus, quia non habent altam radicem, | cito arescunt. Radix ergo in alto sit. Radix caritas est: inde totum surgit, et latet; arbor placet, sed radix latet: sed si deesset quod latet, non esset quod placet.

*Spinae, rerum saecularium curae.*

3. Nolite etiam esse ager spinosus. Spinas dixit esse dominus rerum secularium curas: et uidete, fratres mei, si angit cura rei familiaris, si angit cura rei publicae, si angit cura propriae ciuitatis, si angit cura agri tui, uillae tuae, domus tuae. Sufficiat diei malitia sua. Si spinas necessitate nascentes doles euellere, quid tibi opus est spectaculorum tribulos addere? Cogit te necessitas rei familiaris agrum

*Spectaculorum tribuli.*

tuum curare: quae te cogit necessitas spectare, ut alias spinas tollas ad domum tuam? Paruas enim habes domesticas, ut quaeras extraneas? Dicit tibi deus: Euelle spinas quae in agro tuo nascuntur. Et tu dicis: Video alias delectabiles et formosas; transfero illas ad agrum meum, et plantabo ibi eas. Et non times flammas? Tu quando spinosum uides agrum tuum, quid ei paras? Puto quia ignem, non horreum. Ergo si tu nosti quid facias spinoso agro tuo, numquid deus errat in suo? Puto quod prudentior sit te, qui fecit te: nam tu agrum tuum colere potuisti, creare non potuisti; ille uero qui tibi creauit agrum, qui creauit et te qui coleres agrum, te suum uoluit esse agrum. Euelle ergo spinas, ne sentias flammas, quando iam non erit tempus culturae, sed poenae.

4. Estote autem terra bona, quam deus in euangelio laudat, quae cum semen acceperit, aliud affert centenum, aliud sexagenum, aliud tricenum; et sic colite quod auditis, sic accipite quod discitis, sic tenete quod accipitis, sic diligite quod tenueritis, ut domino uestro fructum dignum afferatis. Qui non potest afferre centenum, afferat sexagenum, afferat tricenum: quia et multum portanti, et parum portanti, tantum frumentum portanti, horreus praeparatur, ubi cum domino

*Unde oratio dominica nuncupatur.*

gaudeat; quem etiam nunc patrem in oratione uocabitis, unde et oratio dominica nuncupatur. Qui ergo frumentum esse

desideratis, panem a uero pane, || qui de caelo descendit, in hac oratione iam petite. Qui autem estis catichumini, paululum uerecunde discedite. Dominus uobiscum. Signate uos, et quod dixero respondete. Et trades symbolum.

fol. 35

De symbolo tradendo catechumenis.

1 Vide Praefat. ad n. XVIII. ORATIONE] in inscriptione omissum ex subscriptione accepi, ubi et num. II. add. 8 bonitatem] ita a nonullis lectum testatur Augustinus, cum ipse legeret ‚suauitatem': cf. Enarr. in Ps. 105, n. 5; in Ps. 84, n. 15; in Ps. 118, Serm. 17, n. 1. suum] Ps. 84, 13. 9 in euangelio] Luc. 8, 5. 13 obturatur G. 16 professus es renuntiasse] cf. Tract. seq. l. 161. Formulam abrenuntiandi ‚diabolo et angelis eius' Alexandriae in usu fuisse testantur Ambrosius (ex Origene) et Cyrillus Alex., in Africa uero Tertullianus et Quoduultdeus: uide ephemer. ‚Rev. Bén.' XXXI, 1914, p. 156. 157. 158. 22 spinis] Eccli. 28, 28. 30 mala] I Cor. 15, 33. 37 quia] a s. l. suppl. 38 arescunt] haec liberius ex Synopticis; ‚ad horam gaudent' legit pariter August., Enarr. in Ps. 90, serm. 1, n. 8. 45 sua] Matth. 6, 34. 52 transfero]n s. l. suppl. 69 horreus] s post. exp., sed in m non mut. 73 cathicumini] i 1° loco ex e s. l. corr. paulolum. 75 amen bino loco post ‚respondete' et ‚symbolum' inseruit is, qui hos tractatus in unum collegit.

# DE DOMINICA ORATIONE

Videmus, dilectissimi, uestram sanctam deuotionem expectantium dominicam percipere orationem. Debetis autem nosse prius quid accipiatis, ut, cum acceperitis, inconcusso corde teneatis. Oratio caelum penetrat, aures dei pulsat, clauim indulgentiae inpetrat, uasa corporum nostrorum mundat, templum spiritui sancto ornat. Oratio dominica obligatos liberos reddit, reos indulgentiae dimittit, seruos filios facit. Oratio dominica tenebras errorum fugat, lumen ueritatis hauriendum demonstrat, custodiam contra aduersarium praebet, a malo liberat, filio dei nos facit esse consortes. Audite iam ipsa uerba, quae teneatis: tenete, quae in cordibus uestris semper oretis. Quod auditis, dicite.

Quanta uis orationis.

2. Filius unicus, uolens habere multos fratres, docuit

homines dicere, Pater noster, qui es in caelis. Septem sententiis uel petitionibus continetur dominica oratio, in quibus tres inueniuntur pertinere ad deum, quatuor ad homines. Sanctificetur enim nomen tuum dum dicimus deo, Adueniat regnum tuum dum dicimus deo, Fiat uoluntas tua sicut in caelo et in terra dum dicimus deo, ad homines ista referri non possunt, quamuis ista homines petere uideantur. Illa uero quatuor, Panem nostrum cottidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, ne nos passus fueris induci in temtationem, sed libera nos a malo, haec hominibus conpetunt his indigentibus: pane, remissione peccatorum, ne inducantur in temtationem, sed liberentur a malo. Tria illa superiora aduertite, dilectissimi, quem ad modum petantur a deo, uel adsignentur deo; quia non ea deus exigeret a nobis, nisi etiam ipsa sciret

*Orationis tres sententiae ad Deum pertinent, quattuor ad homines.*

35ᵛ et nobis posse conpetere. | Rectus itaque ordo ipse poscebat, ut in tribus superioribus sententiis deus laudaretur; tunc demum in istis sententiis aliquid a deo ab hominibus peteretur.

3. Nam qualis est nostra petitio, ut nos dicamus deo, Sanctificetur nomen tuum, cuius nomen est semper sanctum, ipso dicente per prophetam: Sanctum est nomen meum in gentibus? Sed dum poscimus sanctificari nomen dei, nos sanctificari uolumus in nomine dei. Sanctificamur autem ab illo, dum nobis promittit, dicens: Sanctificabo uos, et possideam uos, quasi populum sanctum. Magna promissio, ut nos sanctificet, qui nos inuenit inquinatos, et gratia sua facit mundos. Si sanctificatur in nobis nomen dei, sic uiuamus, dilectissimi, ut uiuunt filii dei: neque enim aliud debet inueniri in nostra professione, et aliud debemus ostendere ex nostra conuersatione. Sic uiuite, ut uiuendum est: ut sitis sancti, qui petitis sanctificari in uobis nomen dei. Nam si aliter oratis, aliter uiuitis, non respondebit ille iudex uestrae petitioni: quoniam uos in precibus cognoscit ipse mentiri. Et si tales inuenerit ille, cuius in consequenti peti-

*Nomen Dei sanctificatur, cum nos in Dei nomine sanctificamur.*

tione rogamus ut adueniat regnum, quid faciet humana infirmitas, ubi se in corde humano occultabit falsitas, quando diuina eum respexerit ueritas?

4. Ecce petimus ut adueniat regnum eius; et illius regnum petimus ut ueniat, de quo dictum est, Regnum eius, regnum sempiternum. Si sempiternum est regnum eius, quomodo petimus ut adueniat regnum, quod semper manet in aeternum? Intellegere itaque debemus quid petamus, ne non intellegendo quod petimus, non deum sed nos ipsos fallamus: fallit enim se, qui non sicut decet cognoscit illum qui fecit se. Hoc ergo petimus, ut, quoniam nobis regnum promittit aeternum, uelociter reddat quod promittere est ipse dignatus. Quid promisit? Sedebitis, inquit, super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israhel. Promisit hoc tantum, an et scripsit? Promissione sua se quidem, quia dignatus est, debitorem fecit; sed ne ei parum crederes, cautionem scripsit: quam cautionem per unicum filium suum ad te direxit, ut credas te regnaturum esse cum deo, qui iam accepisti ut unicus || filius dei tecum esset homo. Cautionem tenes, pignus penes te habes: quare dubitas, nisi quia fidem non habes? Quae est cautio? Euangelia. Quod pignus? Mors Christi, sanguis Christi. Parumne tibi uidetur, ut hoc tibi dimitteret, quod te ad ipsum posset sine aliquo timore perducere?

Regnum quod Deus promisit, ut cito reddatur petimus.

fol. 36

5. Credendo fac uoluntatem ipsius, ut et ipse faciat uoluntatem tuam: ac sic, dum imples uoluntatem dei, et ille implet uoluntatem tuam bonam, fit uoluntas eius in caelo et in terra. In caelo, ubi habitat ipse; in terra, ubi habitas et tu, et ipse. Faciendo uoluntatem ipsius, qui fecit te, sic te habitat, ut te perducat ad se. Caelum est, quo uocaris: terra est, in qua peregrinaris. Et haec terra lutea est domus tua, in qua ad tempus manere cognoscitur anima tua. Ita a te gubernetur haec domus tua, ut si quid in ea cognoueris reficiendum, ipsum artificem qui construxit roges, et quibus scit destinis sufferat transeuntem ruinosam domum, donec restauratam faciat sempiternam.

Dum imples uoluntatem Dei, et ille implet uoluntatem tuam bonam.

Duplex panis petendus.

6. Et quae sunt sustentacula huius ruinosae domus, nisi panis uiuus, de quo dicimus, Panem nostrum cottidianum da nobis hodie? In pane petendo dupliciter exoramus: nam et panem illum quaerimus, qui reficit animam nostram, qui uiuus de caelo descendit; et panem istum uisibilem, quem cottidie opus habemus, ex quo nostra corpora sustentantur. Da, domine, petentibus nobis illum sanctum panem, ne fame depereat anima nostra; rogamusque ut non sentiat famem etiam caro nostra. Quali fame intercepti sunt illi, quibus abstulisti panem uerbi tui, dicens per prophetam: Dabo illis famem, non panis, sed famem uerbi. Quomodo perierunt, qui tali fame interierunt? Panis iste uisibilis si non sit, corpus occidit: panis uerbi tui si desit, animam occidit. Quanto melius perit caro, quae facta est ex limo, quam perit anima, in qua est imago et similitudo tua, quae demonstrat omnem pulcritudinem nostram? Hanc famem ignorantes insipientes, non eam cogitantes, optant ut animae adsit, corpori desit. Hi autem, qui a te inluminantur, hoc
36v petunt, ut nec illa | nec ista adsit; sed si hoc iudicaueris, magis eligunt istam sustinere in corpore, quam illam in anima tolerare. Auerte domine, auerte a nobis famem uerbi tui, ne tali fame periens anima, simul consumatur et caro et anima; sed panem nostrum cottidianum da nobis hodie. Quid est, hodie? Semper dona ut petamus, semper da quod petamus. Non enim deficit manus tua, aut minui potest ille thesaurus, de quo magis si non erogatur minuitur, erogando uero multiplicatur atque cumulatur.

Peior fames animae quam corporis.

7. Respondet nobis petentibus ipse, qui nos hortatur ut petamus: Ecce petitis: uultis audiam? Petentem audite petentes. Vultis accipere? Date et dabitur uobis: dimittite, et dimittetur uobis. Dicimus nos deo, Panem nostrum cottidianum da nobis hodie; et ille respondet, Date, et dabitur uobis. Dicimus deo, Dimitte nobis debita nostra; respondet et ille, Dimittite, et dimittetur uobis. Dando et dimittendo, feneramus, non perdimus. Si enim consideramus, dilectissimi, quid damus, unde damus, qui damus, quibus

damus, de cuius demus, inueniemus nos dispensatores esse, non possessores. Damus enim panem esurienti, quem nisi acceperimus, dare non possumus: damus potum sitienti, quem nisi acceperimus, dare non possumus: damus nummum indigenti, quem nisi acceperimus, dare non possumus. An dicturus es, de meo do? Respondebitur tibi ab apostolo: Nihil in istum mundum intulisti, quia ex utero matris tuae nudus existi. Si nudus ex utero matris existi, et omnia ab illo cuius sunt omnia accepisti, iam uide si de tuo das, an potius deo de suo feneras. Da ergo, ut accipias: nam qui deo dare noluerunt, omnia perdiderunt. Qui autem audierunt consilium domini sui, ut non conderent thesaurum in terra, sed migraret ad caelum, pauperes Christi tamquam laturarios mundi onerauerunt, et per eos ad caelum quae in terra habebant transtulerunt: feliciter securi, qui et ipsi illic semper erunt mansuri, et quod illuc transmiserunt numquam amissuri.

Dando et dimittendo, non de tuo das, sed Deo de suo feneras.

8. Alterum genus elemosynae est in dimit || tendo peccata, fol. 37 ut, si quis te laesit, siue in dicto, siue in facto, ei dimittas ex corde; ut libere a deo petas, quod ipse libenter <e>rogas: Hilarem enim datorem diligit deus. Dicis deo, Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Magna fiducia petentis, qui facit, et sic petit: illum enim interpellat, qui conscientias iudicat. Quando enim te uiderit fideliter obsecra<n>tem, senties eum pretiosorum munerum largitorem: ut is qui dimittit tua peccata, protegat te sua misericordia, nec te faciat induci in temptationem, sed liberet te a malo. In temptationem non induceris, quando nulla temptatione uinceris; a malo liberaris, quando a perfidia separaris. Et hoc ergo petimus, et instantissime petimus, ut liberemur a malo. Mundus enim in maligno positus est. Ecce saeuiunt mala, et pereunt e mundo dilectores mundi. Blasphemant, insaniunt, aduersus deum murmurant: non solum eius misericordiam non deprecantur, uerum etiam eius iudicia reprehendunt. Quis in eis talia operatur, nisi ille auctor mali angelus superbus perditus et perdere cupiens?

Dilectorum mundi murmuratio contra Deum.

Liberet nos deus ab omni malo, ut pars nostra sit cum summo bono. Ab omni malo liberamur, quando a diabulo et eius angelis separamur: angeli enim sunt facientes uoluntatem eius. Non sit nobis pars cum talibus, qui faciunt uoluntatem diaboli: nos enim pretio redemti sumus. Societatem malorum fugientes, bona quaeramus, bono inhaereamus, illi seruiamus, eius uoluntatem faciamus; ut simus et nos angeli dei, de quibus dicit propheta, Benedicite dominum, omnes angeli eius, ministri eius, facientes uoluntatem eius.

1 Vide Praefat. ad n. XIX. ORATIONE] add. num. III. G. 6 clauim] i ex e 1 m. corr. 11 filio] s in fine exp. 16—22 Pater ... a malo] Matth. 6, 9—13 25 nostris] et s. l. add., deinde exp. 26 passus fueris induci] August. constanter legit ,inferas': cf. infra 120, 20. 35 peteretur ex penetretur corr. 39 gentibus] Mal. 1, 11. 42 possideam] = ,possidebo': cf. Rönsch, Ital. u. Vulg. p. 290 sq. sanctum] unde haec desumpta sint, frustra inquisiui. 47 uiuendum] ex ueniendum s. l. corr. 54 sq. falsitas .... ueritas] huiusmodi ἀντίθετον apud Quoduultdeum frequenter occurrere monui ,Rev. Bén.' XXXI, 1914, p. 158. 57 sempiternum] Dan. 4, 31. 65 Israhel] Matth. 19, 28. 92 uiuus] ex unus haud cunctanter emendaui. 98 uerbi] Am. 8, 11. 101 quando G. 105 assit 106 adsit] scripsi; desit G. 112 petamus] G, pro petimus? deficit] ex defecit corr. 118 uobis] Luc. 6, 38. 37. 130 intulisti] cf. I Tim. 6, 7. 131 existi] Hiob 1, 21. 136 ad caelum] Matth. 6, 19. 20. 138 qui] pro quia? 143 erogas] scripsi; rogas G. 144 deus] II Cor. 9, 7. 148 obsecratem 149 tua] in marg. suppl. 150 induci] ex indici corr. 151 induceris] u ex i s. l. corr. 153 separaris] e post sepa del. 154 positus est] I Ioh. 5, 19. 162—165 angelis . . . bona] haec in ras. 1 m. pressius exarata. 162 separemur 164 sumus] cf. I Cor. 7, 23. 168 eius] Ps. 102, 20. 21.

# DE TERTIA FERIA PASCHAE

fol. 60 Domini passio discipulorum defectio, sed domini resurrectio discipulorum refectio apparuit, quomodo dictum est: Percutiam pastorem, et dispergentur oues gregis. Sed resurrexit pastor, et collegit quod disperserat ille uastator. Audiuimus, cum sanctum euangelium legeretur, quem ad modum duo ex

Duo discipuli Emmauntini non erant de apostolis.

discipulis Christi ambulabant in uia, et de his quae facta fuerant conloquebantur secum. Non erant de apostolis, sed de discipulis: omnes autem apostoli discipuli, non omnes discipuli apostoli. Nathanahel, de quo ipse dominus ait, Ecce uere Israhelita, in quo dolus non est, inter apostolos fuit, et apostolus non fuit; et isti duo sic erant. Ambulabant in uia duo confabulantes tristes: nondum enim illis infulserat laetitia eius. Iunxit se ipse dominus; et qui erat dux, factus est comes: dux in anima, comes in uia. Ipsa uia adiunxit se illis, inmiscuit uerba unicum uerbum. Sane ipso uolente ac permittente oculi eorum tenebantur, ne agnoscerent eum. Quid est, inquit, quod loquimini inter uos? Respondit unus nomine Cleopas, et dixit: Tu solus peregrinaris in Ierusalem, et nescis quae ibi facta sint? Et ille: Quae? Respondit Cleopas: De Iesu Nazareno, qui fuit propheta potens in uerbo et opere. Iam propheta, non ipse est dominus prophetarum: plus de illo senserant, sed illo moriente defecerant. Tamen uoluit de se dici et propheta; de se enim dicit: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. Qui fuit, inquit, potens in uerbo et opere: uerum dixerunt. Et quomodo eum tradiderunt principes et sacerdotes nostri, et crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israhel. Sperabatis: iam non speratis? Periit spes uestra, et tamen ambulat uobiscum spes uestra. || Quid sperabatis? Quia ipse erit redempturus [fol. 61] Israhel. Redite ad cor: ipse est redempturus Israhel. An ignoratis quantas mortes emit unus moriens? Quia, si non moreretur, granum solum maneret. Egit enim in cruce grande commercium: ibi solutus est sacculus pretii nostri, quando latus eius perforatum est lancea persecutoris, et manauit inde pretium totius orbis.

Egit Dominus in cruce grande commercium.

2. Ambulabant obiurgati ab illo, quod non haberent fidem, et exposuit illis scripturas, ostendens quae de illo fuerant prophetata, quia oportebat eum pati, et in manus peccatorum tradi, et occidi, et tunc intrare in gloriam suam.

Dicebat, audiebant, et cum quo loquerentur nesciebant. Ventum est ad hospitium, inuitatus susceptus est; panis est fractus, et agnitus est Christus. Tabuerunt corde, infirmabantur mente, quia necdum uiuum comederant panem, illum utique, qui de se ipso pronuntiauerat, dicens: Ego sum panis uiuus, qui de caelo descendi. Illo pane angeli satiantur, quem cottidie conspicere concupiscunt. Sed quia eum manducare minus idonea fuit fragilitas nostra, ipse descendens exhibuit nobis praesentiam suam: suspensus est in ligno, coctus est in patibulo, et panem angelorum manducauit homo. Et qualiter hoc cognoscere poterimus? Ieremiam, si placeat, uatem magnificum audiamus, quid ex persona Iudaeorum dicit. Venite, inquiunt, mittamus lignum in panem eius, hoc est, crucifigamus corpus eius, quasi euangelista loqueretur. Consonant utique uoces euangelii et prophetarum. Quid enim dicit euangelista de Iudaeis mala cogitantibus? Dixerunt namque: Hic est heres, uenite occidamus eum, et nostra sit hereditas eius. Bonus panis, dulcis panis: si quis hunc panem toto comederit corde, potest delectabiliter dicere: Quam dulcia faucibus meis uerba tua! super mel et fauum ori meo. Si isti duo discipuli istum panem non ederent, in incredulitate perpetua remane-
61v rent. Defecerant fame, pleni erant | inediae amaritudine. Sed respondit illis panis aeternus, et dixit: Gustate et uidete, quoniam suauis ego sum deus. Vere, quia panis cor hominis confirmat. Fregit panem, et abstulit caecitatem: fames satiata est cordis, et disruptae sunt nebulae caecitatis.

Hieremias, uates magnificus.

3. Nisi credidissent, iam melior illis latro esset, qui tunc credidit, quando ipsi defecerunt. Latro enim unus de duobus non contempsit dominum pariter crucifixum, sed secum pendentem confessus est Christum. Quando illum potuit contemnere, tunc in illum credidit. Pendebat in medio duorum latronum: unus insultabat, alius credebat: et ipse de cruce tamquam de tribunale inter ambos iudicabat. Quid ei dixit latro ille? Domine, memento mei, cum ueneris in regnum tuum. Videbat crucifixum, et sperabat regnaturum.

Memento mei, cum ueneris in regnum tuum. Nouerat scelera sua, et, tamquam hoc diceret, Cum ueneris in regnum tuum, uel tunc mihi parcatur, requiem suam ille differebat, Christus offerebat. Quid enim ei respondit dominus? Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Tu expectas, donec ueniam ad regnum meum, tunc meminerim tui: hodie non obliuiscar tui. Mecum eris, inquit. Ubi? In paradiso. Quando enim Christus non in paradiso? Secundum hominem pendebat in ligno: ipso die anima eius descensura fuerat ad infernum, corpus eius ponendum erat in sepulchro. Quomodo dicit, Mecum eris in paradiso? Quomodo et apud patrem, et in terra: quomodo loquens angelis, et conceptus in uirgine. Sic ergo ille latro credidit, deficientibus discipulis: sceleratus ille, uiolentus, in ligno suspensus, rapuit regnum caelorum. Quare enim hoc dixi? Quia dominus ait: A diebus Iohannis baptistae regnum caelorum uim patitur, et uim facientes diripiunt illud. Violentam uult esse fidem nostram deus noster: tam uiolenta est, ut montes transferat. Talis extitit in latrone: credidit, quod non sperabat accepit, sed ab eo quem expectabat ac‖cepit. Memento, inquit, mei, cum ueneris in regnum tuum. Sufficere latroni uidebatur, ut ei parceretur a poenis tunc; sed postea dominus eum dilexit. Quid dilexit? latronem? Absit, non latronem, sed fidem: quod ipse fecit dilexit, non quod fecerat latro. Nolite esse latrones, sed imitamini fidem latronis.

Latro tunc credidit, quando defecerunt discipuli.

fol. 62

1 Vide Praefat. ad n. XXXVIII. PASCE G; titulum ex subscriptione desumpsi, ubi add. num. II. 5 gregis] Matth. 26, 31. 13 non est Ioh. 1, 47. 15 laetitia eius] huc, ut dixi, intrusum est fragmentum Tractatus ex nostris undecimi, n. 5: ‚et Arrianus unum . . . idonei cogi'. 24 opere] Luc. 24, 17. 18. 19. sed non iuxta translationem qua utebatur Augustinus. 27 sua] Matth. 13, 57. 31 Israhel] Luc. 24, 20. 21. 36 maneret] cf. Ioh. 12, 25. 37 sacculus] altera c s. l. add. 49 descendi] Ioh. 6, 51. 54 homo] Ps. 77, 25. 57 eius] Hier. 11, 19. 61 eius] Luc. 20, 14. 64 meo] Ps. 118, 103. 68 deus] cf. Ps. 33, 9. 69 confirmat] Ps. 103, 15. 71 melior] s. l. post suppl. 79 tuum] Luc. 23, 42. 84 paradyso G; Luc. 23, 43. 87. 90 paradyso 91 uirgine] add. perperam interrog. nota. 96 illud] Matth. 11, 12. 97 transferat] ex transferam s. l. corr.; cf. I Cor. 13, 2. 103 fecerat] t s. l. add.

# DE TERTIA FERIA PASCHAE

Semper Pascha Christianis est.

Hodie tertius dies agitur, ex quo gloriosa solemnitas celebratur; licet semper habeat istam solemnitatem christianus, quando ei non dominatur tyrannus inimicus. Audiuimus modo in euangelio, eo quod duobus discipulis ambulantibus in uia apparuit uia ueritas et uita. Tristes pergebant, quia necdum Christum a mortuis resurrexisse credebant. Fabulabantur et implebantur sermonibus, quoadusque ueniret uirtutibus plenus. Fit comes itineris, qui integram portabat materiam corporis. Ostendit uiam siue interpretationem diuinae legis. Qui sunt isti sermones, quos confertis ad inuicem, et mestitiam intelligo grauiorem? Dicite mihi istud tedium uestrum: forsitam inuenietis gaudium magnum. Nolite uelut peregrino celare, unde uos uideo sermones emittere; ne forte intra uos retinentes taciturnitatem, damnemini de uestra incredulitate. Praesentia mea erit consolatio uestra: comitatio enim mea laetificat animam uestram; deponentes tristitiam, recipietis gaudia sempiterna. Et illi: Tu solus peregrinaris ab Ierusalem, et nescis quid in ea contigit his diebus? Et ille: Quae? De Iesu Nazareno, qui fuit propheta potens in factis: quomodo eum Iudaei crucifixerunt, quem resurrexisse asserunt. Nos uero sperabamus, quia ipse erat redemturus Israhel. O discipuli, ergo sperabatis, iam non speratis? O duri corde ad credendum, quem prophetae annuntiauerunt uenturum, et pro totius mun-
62v di peccatis moriturum, | et die tertia resurrecturum! Iam non turbetur cor uestrum. Mulieres integre uobis dixerunt, non falluntur: ambulate securi citius, et uos agnoscetis filium dei.

2. Videte, dilectissimi fratres, firmis gressibus ambulantem, scripturas interpretantem, uerbum sapientiae seminantem. Illi uero talem doctorem ueritatis nolentes dimittere, aiunt ei: Mane nobiscum, quoniam ad uesperum declinauit dies. Concessit uerus dies, per quem factus est

omnis dies: mansit cum eis, ut oculos eorum inungeret collyrio claritatis, et agnoscerent deum maiestatis. Accepit panem panis uiuus, qui de caelo descendit, benedixit, eisque tradidit: oculos cordis aperuit, et se dei filium manifestauit. Dicite, discipuli, ubi erant uestri oculi? cur tardius agnouistis filium dei? Scilicet quia incredulitas uestra lumina detinebat. Nam credulitas totum uidet, totum uerum intelligit; infidelitas uero uelamine tegitur. Sed si forte uultis aspicere cicatrices clauorum quos sustinui <a>pontificibus Iudaeorum, ut qui credit in me mereatur participium habere in regno caelorum, intendite foramen in latere meo. Quando me percutiebant in ligno pendentem, caro mea integra fuerat crucifixa, non fantasma: sic et caro uera surrexit gloriosa. Nuntiate omnibus, ut credat me resurrexisse omnis mundus; ut non glorietur inuidus Iudaeus, sed semper gaudeat Christianus.

Fides totum uidet, totum intellegit.

1 Vide praefat. ad n. XXIX. PASCE] in subscriptione, ubi num. II. sicut in praec. et subseq. tract. additur; deest in fronte inscriptio. 3 caelebr. 5 eo] s. l. suppl. 12 inuicem] Luc. 24, 17. 17 comitatio] desideratur hoc uocabulum etiam in nouo Thes. ling. lat. 24 Israhel] Luc. 24, 18—21 haud totidem uerbis. 25 iam non speratis?] imitatur contionator Augustinum, ut in Tract. praeced. l. 31. 25 credendum] Luc. 24, 25. 27 resurrectorum post. s. l. corr. uestrum] Ioh. 14, 1. 35 dies] Luc. 24, 29. 38 descendit] cf. Ioh. 6, 51. 41 scilicet] conieci ex sed 1 m. scripto, deinde eraso. 44 a] suppleui; post sustinui litterula erasa in G.

# DE QUARTA FERIA PASCHAE

Resurrectionem suam dominus Christus certam et ueram multis et uariis documentis persuadere dignatus est, propter aedificandam fidem, et fugandam de corde perfidiam, omnemque dubitationem de sua resurrectione tol|lendam. Parum fuit 68v
oculis se uidendum praebere, si non praeberet etiam manibus contrectandum. Quod multi impii et heretici Ma-

nichei de Christo suspicantur et credunt, quia non erat uera caro, sed spiritus erat habens imaginem carnis, non ad fidem instruendam, sed ad oculos ludificandos: ut homo non esset, sed putaretur: ut caro non esset, sed ita esse uideretur; quod ergo credunt Manichei, et inde dogma fecerunt, erroremque firmauerunt, haec prima cogitatio surrexit in cordibus apostolorum. Et illi quidem Manichei numquam credunt Iesum fuisse hominem: timent Verbo dare carnem, et non timent ueritati obicere falsitatem. Habet ueram carnem, qua ueritas ostendat falsitatem, et in cordibus hominum aedificet ueritatem. Ergo illi numquam dominum Iesum Christum hominem fuisse crediderunt: discipuli autem nouerant hominem, cum quo tanto tempore fuerant conuersati. Viderunt ambulantem, sedentem, dormientem, manducantem, bibentem: scierunt totum, scierunt super puteum sedisse fatigatum. Ex diuturna ista conuersatione hominem nouerant uerum; sed postea quam mortuus est, quod nouerant, quando crederent hoc potuisse resuscitari, quod potuit mori? Apparuit ergo oculis ipsorum talis, qualem illum nouerant; et non credentes tertio die potuisse ueram carnem de sepulcro resurgere, putauerunt se spiritum uidere. Error iste apostolorum, secta est Manicheorum.

Manichaeorum error timentium Christo dare carnem.

Error Apostolorum spiritum se uidere putantium.

2. Solent autem, quando illis haec obiciuntur, ita respondere: Quid mali credimus, quia Christum deum credimus spiritum fuisse? <spiritum> credimus, carnem non credimus: melior est spiritus quam caro. Quod melius est, credimus; quod deterius est, credere nolumus. Quid mali facimus? Si nihil mali est in isto sermone, dimittat Iesus discipulos suos in isto errore. Quid mali crediderunt? Et discipuli Christum spiritum crediderunt: non enim putauerunt esse
fol. 69 illum, sed spiritum. Dimit || tat illis dominus, confirmat illis quod bene crediderunt: inueniens eos in falsitate, non eos doceat ueritatem. Audite quid mali sit, sic credere: dominum audite. Paruo morbo te putas periclitari? Audi sententiam medici. Quod putauerunt discipuli spiritum se uidere, hoc putas et tu, Manichaee. Venit medicus tunc ad discipulos:

Perdidit Christus fructum passionis, si non est ueritas resurrectionis.

inuenit illos hoc credere, quod tu modo credis. Si dimisit illos non curatos, securus erra; si autem illos dignatus est sanare, quid te delectat egrotare? Dominum audi: Quid turbati estis, et quare cogitationes ascendunt in cor uestrum? Quales utique cogitationes, nisi falsae, morbidae, perniciosae? Perdidit enim Christus fructum passionis, si non est ueritas resurrectionis. Quid turbati estis, et quare cogitationes ascenderunt in cor uestrum? Tamquam bonus agricola diceret: Quod ibi plantaui, inueniam; non spinas, quas non plantaui. In cor uestrum descendit fides, quia desuper est; cogitationes autem istae non desuper descenderunt, sed in ipso corde sicut herbae malae ascenderunt. Sed non relinquit, extirpat male natas herbas, purgat agrum, seminat bonum. Quod enim dicit, quid turbati estis? quia turbati, non ordinati. Quare cogitationes ascendunt in cor uestrum? Videte manus meas et pedes meos. Si parum est uidete, Palpate: non creditis oculis, credite manibus. Palpate, et uidete, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me uidetis habere.

Piscis assus, fides probata igne.

3. Et cum adhuc trepidarent prae gaudio. Et gaudebant, et dubitabant: et uidebant, et tangebant, et uix credebant. Magna dignatio gratiae super nos: nec uidimus, nec tetigimus, et credidimus. Illis autem prae gaudio adhuc trepidantibus, ait: Habetis hic aliquid quod manducetur? Vel tunc creditis, quia uiuo, si uobiscum conuiuo. Obtulerunt illi quod habebant, piscis assi partem. Piscis assus, martyria sunt, fides probata igne. Quare ergo partem? Quia si tradidero, inquid, corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Fac ergo totum corpus tamquam martyrum: alii de caritate patiuntur, alii de iactantia patiuntur. | Iactantia<e> partem 69v
tolle, partem caritatis. Ipsa est esca Christi, da Christo partem suam: martyres amat Christus, qui de caritate passi sunt. Manducauit, et ipse erat, ipse qui uisus est et suspensus: ipse qui uidebatur, ipse tangebatur, illi esca porrigebatur, ipse ante oculos discipulorum sumebat et uescebatur; et

omnia ista parum erant. Date ueniam, apostoli, post ista adhuc duri. Sed illorum correctio, nostra est aedificatio: quid enim dominus sequeretur uidete, quomodo tulit omnes ambages. Visus est, tactus est, manducauit: ipse certe erat.

4. Tamen ne in aliquo sensu<m> humanum ludificasse uideretur, misit manus ad scripturas. Dicant pagani quicquid uolunt: Magus fuit, potuit se ostendere. Numquid magus, ante quam esset natus, potuit se prophetare de scripturis? Videte, quia quod uidetis ante prouisum est, et quod cernitis ante praedictum est. Audi filia, et uide. O ecclesia sancta, audi et uide: audi praedicta, uide conpleta. Caput erat, quod persuadebat, dominus Christus; caput ecclesiae erat, quod se uiuum, uerum, integrum, certum persuadebat, et ad fidem credentium perducebat. Quid ergo dixit de scripturis? Non scitis, quia oportebat impleri omnia quae scripta sunt in lege et prophetis et psalmis de me? Tunc aperuit illis sensum, ut intellegerent scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et surgere a mortuis tertia die. Ecce factum, quod scriptum: ecce impletum, quod praedictum: ecce exhibitum, quod lectum. Audi uerba, cerne facta: ueritas plena, fides certa: iam pereat aliquando heretica perfidia. Ecce sic scriptum est: Sic oportebat, quid? Christum pati, praedictum est. Resurgere a mortuis tertio die, praedictum est. Legerant ista Iudaei: legebant, et non uidebant; et ut esset quod alii crederent, in lapidem iacentem offendebant. Si enim cognouissent, numquam dominum gloriae crucifixissent; si numquam dominum gloriae crucifixissent, gentes in natum et passum non credidissent. Ideo ergo isti discipuli ut separarentur a Iudaeis, quorum || cor clausum erat ne intellegerent scripturas, gratia domini fecit separationem. O apostole, o Petre, o Mathaee, o Thomas, o ceteri, Quis enim te discernit? Forte dicis, Fides mea. <Cred>o, si ille non daret, quia tu non haberes. Fides tua te discernit. Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non

De Christo capite in scripturis praedicta.

fol. 70

Gratia discernit fideles inter et incredulos.

acceperis? Ecce gratia, ecce resurgit, ecce se oculis ostendit apostolorum, qui non est dignatus se ostendere oculis Iudaeorum. Ecce praebet se uidendum oculis, praebet manibus contrectandum. Parum est: lege, commemorat scripturas. Et hoc parum est: aperit sensum, ut quod legis intellegas.

Prophetiae de Christi corpore Ecclesia.

3. Persuasit se caput. Quid de nobis? quid de corpore? Caput Christus, corpus ecclesia: apostoli uidebant caput, sed futuram ecclesiam non uidebant. Attendite: uidebant caput, tangebant caput, amplectebantur caput, conuersabantur cum capite: futuram ecclesiam non uidebant. Nos ergo, qui<d>? Quodam modo in illis tabulis nuptialibus et sponsum et sponsam debuit nominare et exprimere. Sed quia iam ostendit sponsum, et tacuit de sponsa, dimidiae sunt nuptiae. Impleantur uota caelestia: apparuit sponsus, appareat et sponsa: ille praesens, illa futura: ille in resurrectione, illa in praedicatione: uideatur iste, credatur illa. Quomodo uisus est iste? Videte quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me uidetis habere. Deinde aperuit illis sensum. Oportebat Christum pati, et resurgere tertio die. Iam dominum uidemus, iam dominum nouimus, tangimus, audimus, credimus: quid de ecclesia? Praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum. Ubi? quo usque? Ne exeat huc de angulo aliena, et supponat se pro tua. Ubi? quo usque? Per omnes gentes incipientibus ab Ierusalem. Ecce audisti ecclesiam designatam. Quando audiebant ista discipuli, ecclesiam per omnes gentes non uidebant: aliud uidebant, aliud credebant: caput uidebant, de corpore credebant. Nos uidemus corpus, de capite credamus.

Contra Donatistas.

1 Vide Praefat. ad n. XLIII. PASCE. III. in subscriptione, ex qua titulum suppleui. 18 qua] quia G. 19 aedificent. falsitatem . . . ueritatem] itemque infra l. 40 sq. cf. adnot. ad huius Append. Tract. IV. l. 54. 33 spiritum] 2° loco inserui, ut interpungendi modum seruarem: secus transferenda erat post credimus interrogandi nota. 49 uestrum?] Luc. 24, 38. 52 ascenderunt] erat primum ascendunt ut paulo inf., neque uero in hoc antiqui codd. euang. sibi constant. 54 uestrum. Des-

cendit interpung. G. 57 relinquet 58 seminat] conieci; semine G. quia] pro quasi? 60 Videte . . . parum est] in marg. infer. suppl. 63 habere] Luc. 24, 39. 68 manducetur] ibid. 41. 69 conuibo. Optulerunt. 71 martiria 73 prodest] I Cor. 13, 3. 75 Iactantiae] scripsi; iactancia G. 76. 79 aesca 84 tactus est] est s. l. add. 85 sensu humano G. 88 scripturis] ex scripturas s. l. corr. 89 prouisum] pro praeuisum? 90 uide] Ps. 44, 11. 91 Caput . . . Christus] alia m. in marg. suppl. 96 scripta] s. l. ex scriptis corr. 99 die] Luc. 24, 44—46. 105 Legerant i. Iudaei] s. l. mox suppl. 107 Si enim] littera erasa post Si. 108 crucifixissent] I Cor. 2, 8. 114 credo] conieci, o G; aliter eadem significatione forsitan legi possit Quid, si ille non daret, quid? Tu non haberes. 117 acceperis?] I Cor. 4, 7. 118 dignatus] emendaui ex dedignatus. 126 Nos ergo, quid? Quodam modo] conieci ex Nos ergo qui quodam modo; cf. ‚Quid de nobis?' l. 122. 128 sponsum] alia uoce erasa, fort. seipsum. 133 spiritus] add. s. l. 141 Ierusalem] Luc. 24, 47.

# DE NATALE SANCTARUM PERPETUAE ET FELICITATIS

Martyres sancti, quorum hodie sollemnitas celebratur, inter quos Perpetua et Felicitas eminent, plures quidem una societate coniuncti, sed uniuersi perpetua felicitate laetati sunt; atque ita in nominibus duarum praemium cognoscitur omnium. Admirans sane ali-
fol. 151 quis quaerat, quae || causa fuerit, ut dies iste, quo plures uincere coronarique meruerunt, magis ex feminis quam ex uiris nomen sollemnitatis acceperit. Nescire me quidem fateor, in tanta sanctorum gloria quantum sint apud deum uel paria uel disparia pondera meritorum. Verumtamen quantum hominibus considerare permittitur, inter omnium praeclarissimas palmas mirabilius feminea certauit infirmitas. Plus certe aliquid uicerunt, quae nec molli sexu molliri potuerunt; plus quam uirorum laudibus commouemur, cum mulieres uiriliter aduersus diabolum pugnasse miramur.

Dies iste martyrum cur magis ex feminis quam ex uiris nomen acceperit.

2. Accessit sanctae Perpetuae etiam paterna temptatio. Quotiens aggressus est filiam, modo minis, modo blanditiis, aliquid utile persuadere se existimans, inhumane beniuolus,

et crudeli misericordia uiolentus! Cui tamen illa numquam contumaciter superbeque respondit: nam et pro Christo passa, et pro Christo conpassa est. Huic inhaerebat, illum dolebat; nec agnoscendi sanguinis humanum negabat affectum, nec fundendo sanguinem diuinum perdebat effectum. Et tamen in ipso tribulationis exordio magis se ab aestu anxietudinis refrigerasse dixit patris absentia. Non erat ille aerumnae consolator, sed coronae dissuasor. Aut uero illa non intellegebat, per cuius carnalem amorem secum spiritalis aduersarius dimicabat, insidiosius agens, qui patrem opponebat, in quo latebat? Et ideo iste dolebatur, ille cauebatur; quoniam casto corde Christus amabatur et timebatur. Inerant etiam in adolescentula, quanto uiridiores anni, tanto ad amorem saeculi fluxiores. Nam uiginti duos agebat annos, ubi posset putari maior feruor carnis quam diuinae caritatis. Et hos Christi gratia superauit. Erat enim illa dei famula, nondum legitima aetate, sed perfecta pietate: proinde contemsit nouellum corpus nouella uirtus, exercens uires iuuenis hominis, cui uetustas non metuitur senectutis. Pendebat etiam iuuenculae mammis paruulus filius: graue sane onus maternae curae pectori haerebat; sed cor a Christo non deponebat.

Perpetuam nec patris affectus nec cura filii auellit a Christo.

3. Felicitas autem etiam grauida conprehensa, grauida inclusa est: in octauo mense uterus fuit; maior labor ad sarcinam sustinendam, maius | periculum ad exponendam. 151v
Et tamen sic adiuta est suis sociorumque orationibus, ut partum cum salute tunc ederet, quando abortum sine morte non posset. Quamuisque se noluit ad nonum uel decimum mensem Christum negando differre, etiam si inmature enixa moreretur, mature tamen confessa coronaretur, seruata est tamen post recentem partum femina pugnatura; ut et in ferocibus bestiis ac ferocioribus turbis etiam languido corpore diabolum superaret, et hostem carne fracta sed fide freta prosterneret.

Felicitatis post recentem partum pugna gloriosior.

4. Tribulationem saeuissimam et nouissimam mundi cum dominus praenuntiaret: V a e, inquit, p r a e g n a n t i b u s e t l a c-

tantibus in illis diebus. Ecce conprehensae sunt ad passionis tribulationem, una lactans, alia praegnans, Perpetua et Felicitas: et non eis uae, sed perpetua felicitas. Quare, fratres? quae causa hoc fecit? Numquid mentitus est dominus, qui tempore tribulationis extremo praegnantibus et lactantibus non gloriam sed miseriam praenuntiauit? Absit, ut ueritas mentiretur. Quid ergo est, nisi quia spe huius saeculi praegnantes mentes, et laetitia huius saeculi lactantes, dominus cum hoc diceret arguebat? Praegnans est animus tumens in ea quae nondum parta, iam tamen cupiditate concepta sunt; lactans autem, qui iam gaudio amplectitur, quod desiderando conceperat. Vae ergo et praegnantibus et lactantibus: his uidelicet mentibus, quae conceperant dolorem, his quae pepererant iniquitatem. Quoniam concupiscentia cum conceperit, pariet peccatum; peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem. Non sic Felicitas praegnans, nec Perpetua lactans: non sic supernae filiae Ierusalem, spe gaudentes, in tribulatione patientes. Et tamen etiam ipsae a timore dei conceperunt et pepererunt spiritum salutis. Quem conceptum et partum beatum non inpediuit carnis uterus grauis, nec ubera lacte turgentia. Ad hoc enim prouenerunt ista passuris, non ut esset unde festinans ad Christum animus tardaretur, sed ut esset quod pro Christo mirabilius uinceretur.

Quibusnam praegnantibus et lactantibus uae.

5. Non defuit denique homo, uas diaboli, qui Felicitati
fol. 152 parturienti, et dolores quos Eua meruit ex propaginis || debito persoluenti, ad dissuadendum martyrium diceret: ,Quae modo doles, quid factura es obiecta bestiis, quas contemsisti cum sacrificare noluisti?' Sed illa respondit: ,Modo ego patior, quod patior: illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum.' O responsum habitantis dei in templo suo, et oracula diuina fundentis! Quomodo implebatur quod praedictum erat: Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis! Quomodo sibi tribuit poenam suam, illi fortitudinem suam! Modo, inquit, ego patior quod patior. Ag-

Felicitatis responsum udici dolores exprobranti.

nosco supplicium quod dictum est, Cum gemitu paries filios; illic autem alius erit in me qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum. Haec uoto, ille adiutorio: haec uolendo, ille subueniendo: haec oboediendo, ille roborando. Quid est enim, Alius patietur pro me, nisi, donabit mihi pati pro se? Et quid est, Pro illo passura sum? Vobis enim, ait apostolus, datum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, uerum etiam patiamini pro eo.

Perpetua Felicitas, nomina duarum, merces omnium.

6. Celebremus itaque sanctorum martyrum diem festum, commendatum etiam passionibus uirorum, sed illustrius nominibus feminarum; quae inflammatae Christi caritate uicerunt, non solum sicut illi praesentis uitae suauitatem, omnesque uoluptates mundi atque terrores, quibus communiter uel utitur uel premitur natura mortalium, sed insuper patris affectum, pignora filiorum, fragilem sexum, grauem uterum, periculosissimum partum. Et omnes in his omnibus diabolum uicerunt. Omnes itaque merito beati, merito gloriosi, merito perpetua felicitate coronati sunt. Perpetua quippe et Felicitas, nomina quidem duarum, sed merces est omnium: neque enim omnes martyres in certamine confessionis atque passionis ad tempus fortiter tolerarent, nisi ut perpetua felicitate gauderent. Diuina ergo prudentia gubernante istae non solum martyres, uerum etiam coniunctissimae comites, sicut debuit esse, factum est, ut unum suae gloriae signarent diem, communemque sollemnitatem celebrandam posteris relinquerent. Sicut enim exemplo gloriosissimi certaminis ut imitemur hortantur, ita suis nominibus munus inseparabile nos accepturos esse testantur. Ambae inuicem | teneant, inuicem [152v] nectant: alteram sine altera non speramus. Nam nec prodest perpetua, si felicitas non sit; et felicitas iam deserit, si perpetua non sit. Haec de uocabulis martyrum, quibus iste nobis consecratus est dies, pro tempore pauca suffecerint.

1 Vide Praef. ad n. LXXX. 2 SANCTORUM PERPETUA G, et in subscriptione add. num. II. 7 ammirans 8 fuerit] conieci ex fecerit, quae uerba alibi quoque in codice confusa esse animaduerti. 16 plus] m. rec. in marg. add. feminarum. 20 benibolus 24 ag-

noscendi sanguinis] 1 m. in ras. 34 agebat] sequebantur duae litterae posta erasae. 38 nobellum 44 assarcinam 48 nonum] u ex a s. l. corr. 57 diebus] Matth. 24, 19. appassionis G. 62 praenunciabit 70 iniquitatem] cf. Ps. 7, 15. 71 pariet] pro parit? 72 mortem] Iac. 1, 15. 74 patientes] Rom. 12, 12. 76 salutis] cf. Esai. 26, 18. 77 inpediuit] u ex b corr. grabis. 83 quae sic modo Passio ss. Martyrum, ex qua haec uerba proferuntur (Bibl. hagiog. lat. n. 6633). 87 responsum habitantis dei in templo suo] Mecum enim quaero, an forte hic locus innotuerit auctori Missae gallicanae in honorem s. Hilarii, cuius haec collecta in antiquis libris (uerbi gr. cod. Paris. Bibl. Nat. 14446, f. 131; Missali Roberti Gemeticensis a Bradshaw Societate ed., p. 150) legitur: ‚Deus... qui infusus in corde beati Hilarii antistitis quasi de templo tuo fidei responsa dedisti.' 91 in uobis] Matth. 10, 20. 94 filios] Gen. 3, 16. 95 ille] 1° loco ex illius corr. adiutorio] d s. l. add. 100 pro eo] Phil. 1, 29. 105. 112 adque 107 pignora] o in al. littera erasa. 110 Perpetua quippe etc.] ab his uerbis reliqua conueniunt cum Augustini serm. 282, n. 1 (=μ). 111 quidem] om. μ. 112 passionis atque confessionis μ. 113 tolerarent] laborarent μ. 115 sicut factum est, esse debuerunt μ. 116 diem signarent μ. 117 celebrandum G. relinquerent] propagarent μ. 122 iam] om. μ. 123 iste] om. μ.

# DE TEMPORE BARBARICO

Magna plaga uulneris magnum exigit remedium medicaminis. Inter tantas strages, ruinas, captiuitates et mortes, quas meritis peccatorum nostrorum super nos uenire cognoscimus, quid nobis agendum est, dilectissimi, qui ex istis malis liberari cupimus, nisi ut ad creatorem nostrum conuersi eum digna satisfactione placemus? Quia eius multam et longam fol. 187 pati||entiam contemsimus, satis irascitur. Ista sentiunt, qui aliquam adhuc spem salutis habent: qui uero iam in anima percussi sunt, obduratique tantam plagam non sentiunt, isti uiui iam mortui deputandi sunt; et ut solent nequissimi spiritus, perditi perdere cupientes, malis suasionibus mortui uiuos praefocare contendunt. Possemus quidem et nos illud dominicum sequi praeceptum, ut sineremus mortuos sepelire mortuos suos, nisi alia nos documenta atque exempla prouo-

Inter strages et captiuitates non debet increpatio cessare.

carent ouem perditam de ore leonis eripere, dragmam in stercore latitantem lumine ueritatis inquirere, filium perditum paenitentem suscipere, hortari, monere, increpare, arguere; quae et ipse dominus fecit, et nos per discipulos suos facere docuit. Faci<a>mus itaque quod dominus iubet, non quod seruus malus fieri timet: dicamus quae dicenda sunt. Nunc qui corrigi uolunt, audiant admonentem; qui uero in suis malis persistunt, audiant increpantem.

2. Ubi sunt, quibus magna posita spes ab hominibus fuit? Contemtus est ille creator et diues, qui omnia dederat. Ubi sunt facultates? ubi aurum? ubi argentum? ubi praedia? Nonne ideo omnia perierunt, quoniam auertit a nobis ille faciem suam, de quo dicit propheta, Auertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus? Auertit a nobis faciem suam, cum ab eo auertimus nos faciem nostram. Largitus est plurima, et contemtus est: ditauit multos, et ab eis quos ditauit blasphematus est: sustinuit seruos duros, ne forte correctos susciperet filios. Quis enim pro tantis beneficiis dignas ei gratias egit, ac non potius multa largienti insuper insultauit? Quando ille suo tempore largas pluuias, quando auras salubres, quando ae<s>tus utiles, quando fertiles segetes, siue quibusque temporibus conpetentia largiri dignatus est, quis domum eius frequentauit? quis ei pro tantis muneribus dignas gratias egit? Nonne tunc fluxus atque desidia, obscena spectacula, turpissima conuiuia, aliaque licentiosa nequitia, quae nos pudet dicere, sed malos non pudet agere, ita perstrepuerunt, ut iure iusteque auerterit deus faciem ab eis, qui ab eo auerterunt facies suas? Tales increpat per prophetam, dicens: Posuerunt, inquit, contra me dorsum suum, et non facies suas. | Et de talibus dictum est, Quo- 187ᵛ
niam pones eos dorsum; non enim digni sunt, aut tales inueniuntur, de quibus dicit apostolus, Nos autem facie ad faciem gloriam domini speculantes. Facies domini, misericordia: hanc auertit, et superuenit in nobis ira. Facies domini, salus: hanc auertit, et super nos omnis tribulatio. Facies domini, summum bonum: hanc auertit, et inuasit nos

Auertit Deus faciem a nobis, cum ab eo auertimus faciem nostram.

omne malum. Facies domini, pax: hanc auertit, et ubi est pax? Auertit enim faciem suam, et non est qui redimat, neque qui saluet.

Quorumdam ut diis immoletur petentium uoces sacrilegae.

3. Nec tamen quiescunt mali murmurare, detrahere, blasphemare, atque in ipsa plaga positi liberas, immo male liberas, exserere uoces, sacrilegasque mentes iam non celare, sed prodere, desiderare noxia, quae sibi putant esse magna remedia. Non enim desunt quorundam uoces titillantes aures ecclesiae dicentium: O si sacrificaretur! o si diis immolarentur solita! quoniam aut non uenissent, aut iam finirentur ista quae patimur mala. Insipientium uox haec est: illorum est haec uox, de quibus dicitur in psalmo, Dixit insipiens in corde suo, Non est deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in affectionibus suis. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Respondeat talibus uera sancta religio, et filios uanitatis ueritatis uoce conuincat: O filii perditi, filii in quibus non est fides! In uobis nonne sacrific<ant>ium extinctae sunt manus? Qui diis falsis sacrificauerunt, uestros oculos quodammodo feriunt. Nec longa illa tempora comme<mo>rabo, in quibus sacrificantibus patribus uestris falsis ac fallacibus diis eo usque progressa sunt bella, ut etiam eis ciuilia adderentur; in quibus, manibus in sanguine parentum, parentesque filiorum, dura atque atroci strage tunc terra percussa est, sicut Romana testatur historia. Nec tot illi dii proceres et scelesti, nec tanta illa turba falsorum deorum, quibus tunc arae tura sacrificia exhibeba<n>tur, ab illis malis cultores suos liberare potuerunt; quin potius, quia fallaces sunt spiritus, ut talia bella gererent ipsi fecerunt, ipsi instigauerunt, ipsi cultores suos illis artibus deceperunt.

Romanae historiae testimonium de bellis etiam ciuilibus.

4. Sed si ista quae in scholis cantastis, filiosque uestros in hodiernum cantantes audistis, reuocare uos ab ista uanitate atque inpietate non possunt, praesens ‖ uos tempus edoceat: quoniam sacrificantem iuuenem fortem, in regno constabili iure a militibus ordinatum, illi dii, quibus sacrifi-

fol. 188

Attali tyranni, quae diis sacrificauerat, truncata manus.

cauit, eum tueri minime potuerunt, ipsamque manum prius amisit, quae post Christi corpus aram diabolo consecrauit. Ista si intueremini, si oculos cordis haberetis apertos, rubor ac pudor uestris frontibus insideret, impiasque uestras uoces et cogitationes aliquatenus conprimeret. Sed quoniam et in eo ipso, quod tales estis, prophetia diuina impletur, quae dicit, Qui in sordibus est, sordescat adhuc, exerite quantum potestis uestras impias uoces; et qu<i>a manus in caelum mittere non potestis, linguas uestras uelut sagittas ignitas corde iaculante dirigite, erigite ceruices, calces iacite. Quid uobis prosunt ista, o miseri? quid uobis prodest contra deum uos posse rebellare? Vanum est uobis aduersus stimulum calcitrare. Non enim est iniqus deus, qui infert iram: uestris enim malis moribus atque clamoribus exagitatus est mundus. Et ista exagitatio malorum atque bonorum, sicut cenum atque unguentum, pari quidem exagitatum motu, illud ex<h>alat, hoc suauiter flagrat; ita simul boni atque mali, indiscrete quidem purgati, sed alto dei iudicio separati, finierunt hanc uitam quacumque morte, ut illam suscipiant boni, quae non habet mortem. Hanc infideles credere noluerunt, et amore huius uitae obligati, nec istam tenere potuerunt, et illam per infidelitatem amiserunt. Quid facitis, quid agitis, o lugendi? nonne urguetur mundus? Urguemini etiam et uos, dilectores mundi, ut exeatis, atque ad illud ueniatis, quod uidere non uultis, sed necesse est ut uideatis.

Boni atque mali hic simul purgati, sed Dei iudicio separati.

5. Has ipsas plagas generis humani ante oculos uestros, non insultans, sed gemens et dolens ponam, et quid meritis nostris responsum sit: quoniam nos uobiscum una catena calamitatis adstrinxit, dum inpudentiae uestrae cedimus, dum uestris blasphemiis aut parcimus aut succumbimus. Ponam ante oculos uestros mala ipsa quae fiunt; et qui in sordibus est sordescat adhuc, iustus autem iustiora faciat, et sanctus sanctiora. Non enim spes bonorum in isto est mundo posita: Spes enim quae uidetur, ait apostolus, non est spes; quia et ipsa spes mundi, quae ui|debatur, in amaritudinem 188ᵛ
uersa est. Amaram enim potionem mundus suis dilectoribus

Amaram potionem mundus suis dilectoribus, propinat

propinauit. Vos alloquitur ueritas, o dilectores mundi: Ubi est, quod amabatis? ubi est, quod pro magno tenebatis? ubi est, quod dimittere nolebatis? ubi est Africa, quae toto mundo fuit uelut hortus deliciarum? ubi tot regiones? ubi tantae splendidissimae ciuitates? Nonne tanto haec acerbius castigata est, quanto aliis prouinciis emendatis ista corrigendo noluit suscipere disciplinam? Lugendo ista potius dicta sint, quam insultando: neque enim alienus poterit esse ab istis calamitatibus, quem intus conpassionis huius pius tangit affectus.

Africae calamitas ruinaque Carthaginis describuntur.

Magno affectu ista deputarentur, si tantummodo audirentur: at cum oculos nostros dira haec calamitas feriat, mortuorumque hominum sepeliendis cadaueribus nullus occurrat, omnes uicos omnesque plateas atrox mors, totam quodammodo foedauerit ciuitatem; considerantes etiam illa mala, matres familias captiuas abductas, praegnantes abscisas, nutrices euulsis e manibus paruulis atque in uia semiuiuis proiectis, quae nec uiuos potuerunt filios retinere, nec mortuos permissae sunt sepelire... Cruciatus in utroque magnus et dolor: hinc dolet uiuum auibus canibusque proiectum suum paruulum, hinc metuit offende<re> dominum barbaricum; dolor et timor tortores cordis assistunt. Inposita etiam insolita humeris pondera: anima tantis cruciatibus lassata, graui pondere fatigatur et corpus; et maxime a talibus feminis hoc impia barbarica potentia exegit, ut ea, quae se sciebat multorum mancipiorum fuisse dominam, barbarorum se subito sine ullo pretio lugeret ancillam. Impletum est illud, quod dictum est per prophetam Dauid: Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in iubilationibus eorum. Dura ab eis seruitia sine ulla misericordia humanitatis a barbaris exiguntur. Strepitus clamoris huius cottidie in auribus nostris ab eis qui coniuges, parentes, in illo impetu perdiderunt exurgit. Dum talia conspicimus, atque talia uidemus, numquid ferreae sunt carnes hominum, etiamsi sensus ferreus in aliquibus inuenitur? Quis ista audiens uidensque non doleat, atque

fol. 189

|| in eis qui perpessi sunt se potius quam illos plangat? Quis dabit capiti meo

aquam, et oculis meis fontem lacrimarum, et plorabo die ac nocte uulneratos filios plebis meae? Deficiunt flendo oculi eorum, qui considerant non solum mortes corporum, uerum etiam animarum.

6. Christiani Christianis loquimur: ex parte meliore melior pars in homine intercepta doletur. Multos enim consideramus in ista uastatione sine sacramento baptismi ex ista uita fuisse ereptos, atque inter uasa irae inexpiatas animas fuisse relictas.

Multi sine sacramento baptismi uita erepti.

Quis luctus idoneior, quis planctus aequior inueniri potest, quando sic ira exarsit omnipotentis, ut repelleret tabernaculum suum in quo habitauit in hominibus, et ille, qui unico filio non pepercit, sed pro nobis tradidit eum, nec pretium tanti sanguinis attenderet; quando intus in corde nostro, templo quia dignatus est suo, ita omnia uiolata esse perspexit, ut etiam ipsa sanctificata, in quibus fidelium sacramenta celebrabantur, hostibus tradere non dubitauerit; nullae ecclesiae, nulli clerico, nullae sacratae uirgini, nullae parceret ciuitati?

Vasa sacra hostibus tradita.

Numquid iniquus deus, qui infert iram? ait apostolus. Absit. Videmus, intellegimus, atque utinam corrigamus! Nec tamen ille, qui sic irascitur, et iuste irascitur, omnem misericordiam suam abscidit, qui poterat omnem humanam creaturam totumque mundum uno diluuio perdere aut incendio caelitus concremare. Sed parcit uni ciuitati, dum aliam castigat: et parcit uni prouinciae, dum aliam flagellat: et castigatam reparat, atque in ipsa castigatione mensuras nobis incognitas seruat.

In ipsa castigatione Deus mensuras nobis incognitas seruat.

Et agitur hoc alto iudicio omnipotentis, ipsorumque impias sustinet uoces, quos non tradidit barbaris impiis. Sed ecce, inquiunt, omnia perierunt. Iure et iuste perierunt omnia, quia noluisti dare ei, qui tibi dedit omnia. Nihil hoc attulisti in hunc mundum, nudus uenisti, omnia hic parata inuenisti: communicare cum egeno et paupere noluisti. Horrea implebas, apotecas claudebas, gemellaria onerabas: quando pauperibus exinde non erogabas, quibus ea nisi barbaris reseruabas?

7. Doleamus ista, fratres mei, qui reliqui sumus super

189v terram: peccata nostra | cognoscamus: ne cum ipsis pereamus, deum digna satisfactione placemus. Quam uelociter placauit iram eius ille qui dixit, Peccatum meum cognoui, et iniustitiam meam non operui: dixi, pronuntiabo aduersum me delictum meum domino! Et quid secutus est? Et tu dimisisti inpietatem cordis mei. Credite quia

Neminem persequitur Deus, si ipse se non persequatur homo.

non est iniquitas apud deum, credite quia diligit deus quod creauit; neminem persequitur deus, si ipse se non persequatur homo. Non propter felicitatem terrenam Christiani effecti sumus; non propter diuitias mundi uel propter istam uitam Christum colimus. Ipse enim, cuius signo censemur, pauper pro nobis factus est, cum diues esset: in isto mundo ueniens indiguit, qui omnia creauit: amaritudines pertulit istius uitae, ut dulcedinem illius aeternae demonstraret. Denique ad caelestem mensam angelorum nos inuitauit, et in cella mendicitatis nostrae fel et acetum bibit. Ne famem timeremus, quadraginta diebus ieiunauit: ne nuditatem pertimesceremus, praeter unam tunicam aliam discipulos suos habere uetuit: ne aurum diligeres, etiam oblatum contemnere docuit: ne tribulationes expauesceres, omnia ipse sustinuit: ne mortem formidares, et hanc ipse suscepit. Cum ita nos docuerit, non tantum uerbo, uerum etiam exemplo, delicati milites tanti regis, inutiles discipuli tanti magistri, nec fortiter pugnare pro patria, nec disciplinas ac regulas magistri seruare contendimus; magisque ista bona, quae ille contemsit et contemnere docuit, appetimus, quam illa permanentia, quae promisit, ab illo accipere uolumus: et si ea pro nostra utilitate subtraxerit, stomachantes eum continuo blasphemamus. O insania mentis, o magna caecitas cordis, nec amare donantem, et utiliter auferentem blasphemare!

8. Sed ecce mihi, inquis, ille totum abstulit: et ego egens remansi, et ille de alieno plenus est. Video, intendo, considero: in isto mari positum piscis te grandior deuorauit.

In isto mari piscem piscis grandior deuorat.

Expecta paululum: ueniet amplior, qui deuorantem deuoret, expoliantem expoliet, auferenti auferat. Quamuis enim tu iuste passus sis, qui non erogando male retinebas tua, et

uidisti et uidebis quae patiantur qui rapiunt aliena: non enim hoc flagellum nostrum, ex quo flagellamur, ideo semper durabit, quia manus eum tenet omnipotentis. Viuus enim fert corrigiam mortui animalis: flagellatur quidem qui ex ea castigatur, || sed etiam ipsa corrigia flagellando conteritur. fol. 190 Non sibi blandiantur, qui nostris malis insultant: non sibi blandiantur, qui nostris cruciatibus delectantur. Quid insultat moriturus morituris, aut mortalis mortalibus? Illuc ueniemus, ubi malorum non erit insultatio, sed stridor atque ploratio. Nec sibi blandiantur, qui de mortuorum praedis ac rapinis facere uidentur elemosynas, ut unus uestiatur, alius expolietur. Qualis elemosyna est, ut unus pascatur, alius occidatur? Non quaerit ista deus: immo, audeo dicere, odit ista deus. Ipsum audi per prophetam quid dicat: Qui profert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui uictimet filium in conspectu patris sui. Non accipiam, inquit, ista de manibus uestris: manus enim uestrae sanguine plenae sunt. Et alius propheta ait: Panis egentium, uita pauperum est; qui defrudat illud, homo sanguinum est. Contendite facere elemosinam. Qui uultis facere elemosinam, de iustis laboribus facite, non de rapinis; ne multi contra uos clament expoliati, et non pro uobis exaudiantur pauci uestiti. Nolite gloriari super iniquitate, et in rapinis ne concupiscatis: diuitiae si affluant, ne apponatis cor. Si fluunt, fluxae sunt, labiles sunt, stare non possunt: noli eas diligere, ne uideant te pendentem in se, et pereuntes trahant te post se. Propterea dictum est, Diuitiae si affluant, ne apponatis cor. Ne in rebus fluxis atque caducis et terrenis ponas cor, cui cottidie dicitur, Sursum cor.

Ipsum flagellum, ex quo flagellamur, flagellando conteritur.

Odit Deus eleemosynam de rapinis factam.

9. Si autem posueris cor in terra, quid tibi respondetur? Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua. Dicis enim in corde tuo: Faciam quod possum, impleam cogitationes meas; suffragantur mihi consilia mea, adest aurum, superabundat argentum, omnia mea sunt. Tua sunt omnia? Stulte,

Inpar est hominum dignitas, sed communis fragilitas.

hac nocte exposcunt animam tuam a te: quae praeparasti, cuius erunt? Hominem te esse cognosce, qui de hominibus iudicas: inpar est quidem dignitas, sed communis est fragilitas. Tu adtendis disparem te habere uestem, sed ego demonstro communem nos habere cutem. Ecce rapis, ecce totum tollis, et pro salute tua temporale pecunia<m> congregas. Post paululum febre aduueniente exire cogeris. Ubi est quod emisti? ubi est quod pro te dedisti? Nolite gloriari super iniquitatem: ruina mundi, si et uos homines estis, terrere uos debet, non consolari. Annon uos terret illa 190v uox | apostoli Iohannis describentis in Apocalypsis ruinam saeculi, et dicentis: Septimus angelus, inquit, tuba cecinit: *Et factus est sol niger ut saccus cilicinus, *et luna sanguinea facta est, *et stellae ceciderunt eo modo quasi ficus *uento magno agitata *amittit acerbos fructus suos. * Et caelum recessit ut liber dum euoluitur; *et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt. * Et reges terrae maximi quique tribuni et diuites fortes, et omnis liber et seruus absconderunt se in speluncis et cauernis, * dicentes montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a conspectu patris sedentis super thronum, et ab ira agni, quoniam uenit dies magnus irae ipsorum. *Et quis poterat stare?

10. Erudimini omnes qui iudicatis terram. Terram iudicare est carnem domare. Erudimini ergo omnes qui iudicatis terram; apprehendite disciplinam, ne quando irascatur dominus. Sed quoniam dum ueritas ipsa clamaret per sanctos suos, quae et nunc non tacet per qualescumque ministros suos, facti estis mali uelut aspis surda et obturans aures suas, quae noluit audire uocem incantantium et medicaminibus medicari a sapiente; agite, mali, quod potestis, implete iniustitiam <uestram, non quiescat mala uoluntas> uestra: persequimini iustos, persequimini et iniustos. Agite officia patris uestri: omnes qui de patre diabolo estis, facta ipsius facere concupiscitis. Et ille enim bonos

Diabolus bonos malosque persequendo, aliis infert supplicium, aliis praestat beneficium.

malosque persecutus est: sed aliis fuit supplicium, aliis magnum praestitit beneficium. Nam et Cain temtatum fecit homicidam, et Iob uulneratum dei fecit amicum: et Annaniam possessorem fecit furem, et Paulum colafizatum inuenit fortem: et Iudam seductum demonstrauit traditorem, et Petrum, quem fecerat praesumtorem, conuersum timuit flentem. Nec tamen deus iniusto sed alto iudicio et Abel innocentem a fratre malo permisit occidi, nec Iob diutius passus est cruciari: nec Ananiae locum donauit ad ignoscendum, nec Paulum deseruit colafizatum, quem sua gratia fecit robustum: nec Iudam suscepit paenitentem, nec Petrum deseruit flentem, quem respectum idoneum suum fecit amatorem. Nouit enim ille, qui ad hoc stat in synagoga deorum, ut deos discernat, || nouit alto iudicio nobisque incognito fol. 191 separare uasa irae a uasis misericordiae. Quid mihi demonstras speciem atque magnitudinem tuam, o uas perfectum in perditione? Mustum sancti spiritus portare non potuisti, quo accepto continuo crepuisti: totus fractus es, ad nihil utilis es, nisi ut ex fragmentis tuis sanorum uasorum sonum probes. Percutiat testam fractam uas solidum: qualis sonus procedit ex uase fracto? Quia omnia perierunt, blasphemetur deus. Qualis sonus procedit ex uaso integro? Dominus dedit, dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factum est: sit nomen domini benedictum.

Vas perditionis ex fragmentis suis sanorum uasorum sonum probat.

11. Conuertimini, corrigimini: cum tempus est, inquirite dominum. Tempus est ut reficiamini, tempus est ut reparemini; et si aliqui fracti estis, omnipotentem figulum artificem habetis. Credite quia potens est reparare perdita, qui creauit omnia integra. Ecce enim ait ipse: Sicut lutum figuli uos estis in manu mea. Superius enim hanc similitudinem posuit, quam in sequenti exposuit. Vade, inquit, in domum figuli — dominus ad prophetam — et ibi audies uerba mea. *Perrexit ad domum figuli, *et ecce ipse faciebat opus suum in rota. * Et cecidit uas quod faciebat de manibus eius, et fractum est. * Et rursum accipiens illud formauit ex ipso aliud uas, * sicut placuit coram

Potens est figulus reparare perdita, qui creauit omnia integra.

illo ut faceret. Et ait dominus: * Numquid non possum, sicut figulus iste fecit, ita facere uobis, domus Israhel? * Ecce sicut lutum figuli uos estis in manu mea. * Terminum loquar super gentem et super regnum, * ut exterminem illos et perdam. * Et si conuersa fuerit gens illa a malis suis, * et penitear in malis quae disposueram ut facerem illis, et non faciam. Et iterum terminum loquar super gentem et super regnum, * aedificem circumplantem. * Et si conuersa fuerit gens illa, ut non faciat secundum iustificationes meas, * penitear et ego in bonis quae disposueram ut facerem illis, et non faciam. Et nunc ait: Auertat se unusquisque uestrum a uia sua mala, * et meliores facite cogitationes uestras. Ecce cadunt iusti, iustificantur [191v] impii; deiciuntur | praesumentes, subleuantur humiles. Quid inflaris de potentia? quid gloriaris in malitia? Si uis uere exaltari, dignare humiliari. Agnosce te, quid sis: agnosce te terram esse et limum. Quod si te non agnoueris, frustra exaltas ceruices tuas. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

12. Consolamini, humiles, consolamini, qui estis pusillanimes; confortamini, et iam nolite timere: ecce enim dominus noster, qui retribuet iudicium, ipse ueniet, et saluos nos faciet. Dominus in proximo est, pastor in proximo est: nihil solliciti fueritis. Saeuiat mundus, saeuiant dilectores mundi, terreat gladius, immineat fames, uastet pestilentia, abundent morbi, consumat mors. Quis nos separabit a caritate dei? tribulatio, an angustia, an fames, an periculum, an gladius? Et: Si deus pro nobis, quis contra nos? Et: Neque mors, neque uita, neque angelus, neque principatus poterit nos separare a caritate dei, quae est in Christo Iesu domino nostro. Adest nobis Perpetua Felicitas: quid nos terret mundi infelicitas? Si istam felicitatem mundanam sancti omnes amarent, Perpetuam Felicitatem ecclesiae non haberent. Si felicitas huius mundi transitoria diligitur, per-

Perpetua, Felicitas, ad mundi pressuras tolerandas hortantur.

petua hic non inuenitur; si uero perpetua felicitas quaeritur, hic in saeculo non inuenitur, ut ad perpetuam felicitatem ueniatur, quaecumque intulerit mundus, patientissime tolerentur. Quantum est enim quod toleratur, contra illud quod promittitur? Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae reuelabitur in nobis. Nullae ergo nos pressurae deterreant, nulla calamitas frangat. Dominus in proximo est, pastor in proximo est: quid metuis, ouis?

13. Sed ecce, ut uideo, errasti, quoniam gregem deseruisti, et in montibus uagaris: times lupum, metuis feram, expauescis canem. Clama, ut te audiat pastor: clama, ouis errans. Habes multas uoces in lege. Dic, dic: Erraui sicut ouis perdita. Clama, et dic: Libera a framea animam meam, et de manu canis unicam meam: salua me de ore leonis. Clama, et dic: Periit fuga a me, et non est qui inquirat animam meam. Considerabam in dexteram, et ecce leo|| hereticus: considerabam in sinistram, et ecce lupus diabolus. Rugit leo, frendet lupus: econtra latrat canis. Clamaui ad te: Periit fuga a me. Clamaui ad te, domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra uiuentium. Libera me de manibus inimicorum meorum, et eorum qui me persecuntur. Numquid iste pastor bonus, qui animam suam ponit pro ouibus suis, ad quem sic clamat haec ouis, eam dimisit errare diutius, aut a feris uel a lupis passus est dilaniari atque consumi? Absit: quin immo relictis nonaginta nouem perrexit quaerere ouem perditam. Nec quia clamantem audiuit, ideo perrexit; sed antequam clamaret, numerum iste inspexit. Numerus enim ouium centenarius fuit; ex quo numero ista ouis errauit. Relictis autem, ait euangelista, nonaginta nouem, abiit quaerere unam quae perierat; quam inuentam et lassatam atque fatigatam suis impositam humeris reportauit ad gregem, numerumque centenarium reddidit integrum. Non uacat numeri huius tam grande mysterium dici. Si quis cognoscere desiderat, quid in isto numero fuerit figuratum, centesimum

Ouis ad pastorem clamantis uoces e Scriptura.

fol. 192

Centenarii numeri mysterium.

Occulto Dei iudicio ouis errare permittitur, misericordia ab errore reuocatur.

in capite legat psalmum, in quo scriptum est: Misericordiam et iudicium cantabo tibi, domine. Iudicio enim illo occulto diuino dimissa est ouis errare; misericordia currente pastoris eam ad gregem suis humeris dignatus est reportare. Iudicio diuino errare permittitur, misericordia ab errore reuocatur. Quod uero ouem istam dominus humeris propriis inpositam baiolauit ad gregem, quantae misericordiae eius gratiae agendae sunt, qui tantum se ad nos humiliauit et inclinauit! Portat, et reficit; regit, et custodit. Nonne quando haec ouis, quae errauerat, illis humeris piissimi pastoris portabatur, uocem illam psalmi meditabatur, Factus est dominus susceptor meus, et eduxit me in latitudinem; liberauit me, quoniam uoluit me?

Christus pastor et Dauid noster.

14. Et nunc, domine bone, summe et optime pastor, ne pereat ouis, inple officium summi pastoris. Sequere leonem, qui rapuit ouem de grege: leo interficiatur, ouis eruatur. Nonne tu es Dauid noster, pastor ouium, rex noster, qui, ut pugnares cum Golia, hoc exemplum Sauli dedisti, quod et leonem et ursum propter ouem ablatam interemisti? Et nunc, domine, Dauid noster, manu fortis, tot de tuo grege cottidie
192v pereunt oues: quare tantum | taces? Ne sileas neque mitescas, deus. Quare taces? Inimici tui sonuerunt, et qui te oderunt leuauerunt caput. Quare taces? Inimici tui, qui te oderunt, ipsi te minorem dixerunt, ipsi menbra tua rebaptizando humi<li>auerunt. Quare taces? Ecce super plebem tuam machinati sunt consilium. Dixerunt, Venite, exterminemus eos de gentibus. Et dixerunt, et fecerunt: et adhuc taces. Tacui, tacui, clama, sed non semper tacebo. Ergo, domine Iesu Christe, Dauid noster, rex noster, accipe uasa tua bellica, et progredere, ut pugnes contra illum, qui obprobrium dicit aduersus exercitum dei uiui. Arrianus superbus quod obprobrium dicit aduersus exercitum dei uiui? Minorem dicit esse filium dei uiui. Quid magnum, Arriane superbe? Similitudinem geris illius Goliae. Et ille enim uidens Dauid uenientem ad se pro nihilo aestimauit, cum minorem credidit eum: erat enim iuuenis cum

Contra Arrianos rebaptizantes.

specie oculorum, tamquam similitudo illius speciosi forma prae filiis hominum. Et pro nihilo, ait scriptura, aestimauit eum: sicut tu minorem dicis filium dei. Minor iste, lenis iste, non te in galea et lorica superabit, quia infirma mundi elegit deus, ut confundat fortia; nec te in clypeo et asta perimit, sed in uirga et lapide, quia, quod infirmum est dei, fortius est quam homines. Quinque sibi lapides leues de torrente elegit: quinque libros per Moysen suo populo dedit. His quinque uoluminibus ueluti quinque lapidibus superatur omnis superbus; in his inuenitur, quid sit Christus: quia ipse est dei uirtus et dei sapientia. Haec dei uirtus et dei sapientia, lapis angularis effectus, in fundibalo carnis collocatus, manu forti expressus, et Platonem superauit docentem, et Ciceronem confudit tonantem, et Arrianum prosternet rebaptizantem.

Plato, Cicero, Arrianus Dei sapientia superati.

